DE

VOCABULIS LATINIS

QUÆ GERMANICA LINGUA ASSUMPSIT

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

A. EHRHARD

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS
IN FACULTATE LITTERARUM GRATIANOPOLITANA GERMANICI ELOQUII MAGISTER

GRATIANOPOLI
EX TYPIS JOSEPHI ALLIER
in Via Magna, 8

1888

DE

VOCABULIS LATINIS

QUÆ GERMANICA LINGUA ASSUMPSIT

VIRO DILECTISSIMO

E. LICHTENBERGER

GRATI ANIMI PIGNUS

A. E.

DE VOCABULIS LATINIS QUÆ GERMANICA LINGUA ASSUMPSIT

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

A. EHRHARD

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS
IN FACULTATE LITTERARUM GRATIANOPOLITANA GERMANICI ELOQUII MAGISTER

GRATIANOPOLI
EX TYPIS JOSEPHI ALLIER
in Via Magna, 8

1888

INDEX OPERUM QUÆ MIHI SCRIBENTI MAXIME PROFECERUNT.

Graff, *Althochdeutscher Sprachschatz*, Berlin, 1834-1842.

Lexer, *Mittelhochdeutsches Wœrterbuch,* Leipzig, 1878.

Grimm, *Deutsches Wœrterbuch*, Leipzig, 1854-1888.

Klüge, *Etymologisches Wœrterbuch der deutschen Sprache,* Strassburg, 1884.

Du Cange, *Glossarium mediæ et infimæ latinitatis*, Parisiis, 1845.

J. Grimm, *Deutsche Grammatik,* Gœttingen, 1822-1837.

A. Schleicher, *Die deutsche Sprache,* Stuttgart, 1879.

W. Wackernagel, *Die Umdeutschung fremder Wœrter,* Basel, 1861.

H. Ebel, *Ueber die Lehnwœrter der deutschen Sprache,* Berlin, 1856.

Cholevius, *Geschichte der deutschen Poesie nach ihren antiken Elementen,* Leipzig, 1854.

G. Freytag, *Bilder aus der deutschen Vergangenheit,* Leipzig, 1882.

DE VOCABULIS LATINIS QUÆ GERMANICA LINGUA ASSUMPSIT.

Cum mihi in animo sit de illa germanici sermonis parte disserere quæ e latino hausta fuit, cavendum est ne ultra legitimos fines tendatur opus, arcessitis in hanc investigationem quibusdam vocabulis quæ nullo modo ad rem pertinent. Multa enim germanica verba reperire est, forma latinis similia, vi paria, haud tamen a latina lingua tradita. Si quis *pater* et *Vater, auris* et *Ohr, nasus* et *Nase, sex* et *sechs, noctem* et *Nacht, pellis* et *Fell* comparabit, haud ægre eo adduci poterit ut credat germanicas voces nihil aliud esse quam latinas in quamdam germanicam speciem versas. Non ita res se habet. Non de latino fonte illæ ceciderunt, sed his et illis eadem est origo. Pleraque enim vocabula quæ res quotidianas, etiam ab incultis gentibus notas, designant omnibus linguis quæ vulgo indo-europææ appellantur communia esse invenias. Hujuscemodi sunt ea quæ propinquitates, corporis humani partes, animalia domestica, numeros centum tenus, et quædam alia exprimunt. Cum iis multæ diversæ gentes promiscue utantur, nullum peculiare vinculum ostendunt quo Romani et Germani juncti fuissent. Illis

igitur omissis quæ jam inde antiquitus cognata apparent, ea tantummodo inquiram quæ apud Germanos nondum in usu fuerant, priusquam gens cum Romanis consuetudines iniret, et quibus commercia seu cum latino populo, seu cum latinis scriptoribus, germanicam linguam ditaverunt.

Duo nobis sunt animadvertenda : primum, quæ elementa sui sermonis Germani a latino exceperint ; secundum, quemadmodum hæc elementa sint immutata, adeo ut germanicam formam adipiscerentur.

PARS PRIMA

QUALIA VOCABULA LATINA GERMANICUM SERMONEM LOCUPLETAVERINT

Grammatici qui germanicæ linguæ studio incumbunt quatuor præsertim in hujus linguæ historia spatia solent discernere.

In primo spatio quod circa septingentos annos usque ad sextum sæculum post Christum natum complectitur, Germanorum lingua, jam a Gothorum et Scandinavorum distracta, nova divisione in duas partes discedit, vulgo *hochdeutsch* (gallice *haut-allemand*) et *niederdeutsch* (gallice *bas-allemand*) appellatas. De quibus temporibus nulla supersunt scripta monumenta.

Secundum spatium, ex quo multis operibus servata lingua vulgo *althochdeutsch* (gallice *vieux-haut-allemand*) vocatur, quinque sæcula comprehendit, a septimo usque ad undecimum.

Tertium, intra quod rursus mutata lingua *mittelhochdeutsch* appellatur, ab undecimo sæculo usque ad quartum decimum extenditur.

In quarto denique, quod quarto decimo sæculo ortum præsentia tempora comprehendit, linguæ nomen *neuhochdeutsch* est.

CAPUT PRIMUM.

DE ÆVI SPATIO EX QUO NULLA SUPERSUNT MONUMENTA.

Remota et perantiqua tempora memorabat Tacitus, cum in suo de Germania libello hæc scriberet: « Ipse eorum opinionibus accedo, qui Germaniæ populos nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos propriam et sinceram et tantum sui similem gentem exstitisse arbitrantur [1]. » Tempore quo Tacitus ita loquebatur, jam non a ceteris gentibus secreti vivebant Germani; cum Romanis præcipue consuetudines facere cœperant, et Tacitus ipse incipientes has vicinitatis conjunctiones indicat. Postquam Mattiacorum gentem erga Romanos in obsequio esse dixit, hoc addit : « Protulit enim magnitudo populi romani ultra Rhenum ultraque veteres terminos imperii reverentiam [2]. » Ultra Rhenum cognita fuit Roma per legiones suas, seu victrices, seu debellatas, per oppida quæ ad muniendos imperii terminos passim surgebant, per mercatores qui audacter in longinquas terræ partes peregrinabantur. Dum populi a Rheni ripa remotiores argenti et auri pretium ignorabant, a proxi-

[1] *De Germania*, IV.

[2] *Ibid.*, XXIX.

mis narrat Tacitus formas latinæ pecuniæ agnitas et electas fuisse. Dum illi, « ut quibus nullus per commercia cultus[1] », ferarum pellibus tegebantur, hi, rudem habitum aspernati, munditias in Italia confectas induebant. Dum primum Germani electis equis, armis et phaleris quæ a finitimis gentibus donabantur gaudebant, Romani « jam et pecuniam accipere[2] » docuerunt. Dum interiora colentibus cerevisia potui erat, proximi ripæ vinum mercabantur. In sequentibus sæculis magis etiam Germani latinis gentibus immixti fuerunt, cum multi in imperatorum exercitibus stipendia facerent et, in patriam regressi, inter suos novam vitæ rationem instituerent, cum etiam immensæ armatorum turbæ, sedibus suis relictis, Italiam peterent, romanam potestatem eversuræ.

De illis omnibus causis permulta latina vocabula germanicum sermonem invaserunt. Inter prima ea a Germanis adscita esse patet quibus hostes suos designarent. Romanorum nomen acceperunt, ex quo forma ahd.[3] *Romari,* nhd. *Rœmer* exstitit. Ita etiam C. J. Cæsaris nomen sæpe ab iis proferendum fuit, quod, cum Romæ principes eo tanquam titulo ornarentur, in Germania imperatoriam dignitatem significavit, et in ahd. *Keisar,* mhd. *Keiser,* nhd. *Kaiser* fuit immutatum.

[1] *De Germania*, XVII.

[2] *Ibid.*, XV.

[3] Sunt signa ahd., mhd., nhd., ad breviter scribenda longiora *althochdeutsch, mittelhochdeutsch, neuhochdeutsch* apud grammaticos usitata.

Nonnulla civitatum nomina quorum latina origo nos hodie præterit tunc exstiterunt. E quibus referenda sunt :

Colonia Agrippinensis; ahd. *Cholonna,* mhd. *Kœlne,* nhd. *Kœln.*

Aquæ Grani; ahd. *Acha;* nhd. *Aachen.*

Confluentes; ahd. *Chobilinza ;* nhd. *Coblentz.*

Mogontiacum ; ahd. *Maginza;* nhd. *Mainz.*

Castellum (quod Mogontiaco ex adverso est); ahd. *Chastella,* nhd. *Kastel.*

Augusta Vindelicorum; ahd. *Agustoburc;* nhd. *Augsburg.*

Tabernæ ; ahd. *Zaberne;* nhd. *Zabern.*

Tolbiacum; ahd. *Zulpih ;* nhd. *Zulpich.*

Turegum; ahd. *Zurihha;* nhd. *Zurich.*

Constantia; ahd. *Chostanza;* nhd. *Konstanz.*

Hæc romana oppida Germanis aliquid novum, inusitatum, mirum erant. « Nullas, ait Tacitus, Germanorum populis urbes habitari satis notum est, ne pati quidem inter se junctas sedes. Colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vicos locant non in nostrum morem connexis et cohærentibus ædificiis; suam quisque domum spatio circumdat, sive adversus casus ignis remedium, sive inscitia ædificandi. Ne cæmentorum quidem apud illos aut tegularum usus[1]. » Ædificandi artem et domus agglomerandi consuetudinem ab excultioribus vicinis exceperunt, et

[1] *De Germania*, XVI.

cum novis institutis, ut necesse erat, nova etiam verba. E quibus citare decet :

Murus, ahd. *mûra,* mhd. *mûre,* nhd. *Mauer.*

Calx, ahd. *chalch,* mhd. *kalc,* nhd. *Kalk.*

Pilarius, ahd. *pfilari,* mhd. *pfîlære,* nhd. *Pfeiler.*

Palus, ahd. *pfal,* mhd. *pfâl,* nhd. *Pfahl.*

Postis, ahd. *pfosto,* mhd. *pfoste,* nhd. *Pfosten.*

Porticus, ahd. *pforzih,* mhd. *pforzich,* nhd. *Portik.*

Tegula, ahd. *ziagal,* mhd. *ziegel,* nhd. *Ziegel.*

Scindula, ahd. *scintila,* mhd. *schindel,* nhd. *Schindel.*

Cellarium, ahd. *chellari,* mhd. *keller,* nhd. *Keller.*

Spicarium, ahd. *spihhari,* mhd. *spîcher,* nhd. *Speicher.*

Solarium, ahd. *solari,* mhd. *sœlre,* nhd. *Sœller.*

Fenestra, ahd. *venstar,* mhd. *venster,* nhd. *Fenster.*

Non semper nova ædificia ad augendas vitæ commoditates pertinebant. Aliqua libertati inimica fuerunt cujus Germani se tam cupidos ostendebant. Cognoverunt quid *carcer* esset. Inde vocabulum quo jam Gothi, *karkara* dicentes, utebantur, et unde ahd. *charchari,* mhd. *kerkære,* nhd. *Kerker* ortum est.

Aquæ in puteos collectæ fuerunt. *Puteus* ahd. formam *pfuzzi,* mhd. *pfütze,* nhd. *Pfütze* accepit.

Ad designanda ædificia in urbes congregata Romani pariter vicinis suis nomen tradiderunt. Si vix

credibile est ahd. *purc,* nhd. *burg* a græco πύργος defluxisse, certum videtur a latino *vicus* vetus vocabulum *wich* ortum esse, quod hodie adhuc in nomine composito *Weichbild* (gallice *territoire, banlieue*) reperimus.

Intus in domibus quas struere didicerant, supellectilem et ornamenta Germani adhibuere quorum nomina, ut res ipsas, a Roma sumpserant. Inter quæ sunt :

Tabula, ahd. *zabal,* mhd. *zabel,* nhd. *Tafel.*

Scrinium, ahd. *scrîni,* mhd. *schrîn,* nhd. *Schrein.*

Arca, ahd. *arahha,* mhd. *arche,* nhd. *Arche.*

Cista, ahd. *chista,* mhd. *kiste,* nhd. *Kiste.*

Discus, ahd. *tisc,* mhd. *tisch,* nhd. *Tisch.*

Scutella, ahd. *scuzzila,* mhd. *schüzzel,* nhd. *Schüssel.*

Mox, cum mollescere cœpissent mores, non necessaria supellectile contentæ, blandimentis gavisæ sunt feræ olim gentes, quæ romana luxuries excogitaverat. Procera membra, a Tacito laudata, pulvinaribus assueverunt. Ut socci et soleæ pedes a viarum asperitatibus tuerentur oportuit. Fuit formæ cura. Mollitiem romanam in Germaniam manantem hæc vocabula testantur :

Pulvinar, ahd. *pfuliwi,* mhd. *pfülwe,* nhd. *Pfühl.*

Cussinus, ahd. *chussin,* mhd. *kussin* et *küssen,* nhd. *Kissen.*

Pluma, ahd. *phluma,* mhd. *phlûme,* nhd. *Flaum.*

Theca, ahd. *ziahha,* mhd. *zieche,* nhd. *Zieche.*

Soccus, ahd. *soccho,* mhd. *soc* et *socke,* nhd. *Socke.*

Solea, ahd. *sola,* mhd. *sole,* nhd. *Sohle.*

Speculum, ahd. *spiagal,* mhd. *spiegel,* nhd. *Spiegel.*

Agriculturam a Germanis parum exercitam fuisse docent Cæsar et Tacitus. Ille scribit : « Agriculturæ non student, majorque pars victus eorum in lacte, caseo, carne consistit ; neque quisquam agri modum certum aut fines habet proprios...[1] », et alter ait : « Nec arare terram aut exspectare annum tam facile persuaseris quam vocare hostem et vulnera mereri[2]. » Ab Italiæ populis feroces ad bellandum viri in arvis colendis fuerunt informati. Sic in lingua vocabula apparuerunt ad rem rusticam pertinentia. *Sulcus* in ahd. *sulh* conversum est, ex quo tamen in recentiore sermone nihil superest. Vigent autem et florent adhuc :

Fructus, ahd. *fruht,* mhd. *vruht,* nhd. *Frucht.*

Planta, ahd. *phlanza,* mhd. *pflanze,* nhd. *Pflanze.*

Propago, ahd. *phroffo,* mhd. *pfropfe,* nhd. *Pfropfen.*

Secula, ahd. *sihhila,* mhd. *sichel,* nhd. *Sichel.*

Spelta, ahd. *spelza,* mhd. *spelze,* nhd. *Spelz* et *Spelt.*

Terram frugiferarum arborum impatientem esse ait Tacitus. Mox tamen poma ex Italia invecta gignere potuit. Inde nomina :

Cerasum (seu potius forma *ceresia*), ahd. *chirsa,* mhd. *kirse,* nhd. *Kirsche.*

[1] *De Bello Gallico,* VI, 22.
[2] *De Germania,* XIV.

Pruna, ahd. *phruma*, mhd. *pflume*, nhd. *Pflaume*.

Persicus, ahd. (forte non scriptum invenitur), mhd. *pfersich*, nhd. *Pfirsich*.

In octavo tantum sæculo credunt aliqui e latino *pirum* ahd. *bira*, mhd. *bir*, nhd. *Birne* exstitisse. Sed eruditissimus vir Jacobus Grimm censet omnino *Birne* non a Romanis fuisse traditum [1].

Inter sylvestres arbores duæ mihi inquirenti occurrunt, quarum latina nomina Germani servaverunt, scilicet :

Laurus, cui *beri* (pomum) additur, ahd. *lorberi*, mhd. *lorber*, nhd. *Lorbeer*.

Larix, ahd. (forte deest), mhd. *larche* et *lerche*, nhd. *Lœrche*.

Circa finem sexti sæculi non modo agriculturæ Germani periti erant, sed etiam plantas, quas in Italiæ hortis crescentes viderant patrii soli naturæ assuefacere conabantur. Eas præsertim coluerunt e quibus esca parari poterat. E plurimis nominibus hæc tantummodo indicabo :

Caulis, ahd. *choli*, mhd. *kœle* et *kôl*, nhd. *Kohl*.

Cucurbita, ahd. *churbiz*, mhd. *kürbiz*, nhd. *Kürbis*.

Cicer, ahd. *chihhira*, mhd. *kicher*, nhd. *Kicher*.

Cerefolium, ahd. *chervola*, mhd. *kervel*, nhd. *Kerbel*.

[1] *Deutsches Wœrterbuch*.

Cardus, ahd. *charta,* mhd. *karte,* nhd. *Karde.*

Lens, ahd. *linsi,* mhd. *linse,* nhd. *Linse.*

Mentha, ahd. *minza,* mhd. *minze,* nhd. *Minze.*

Radix, ahd. *ratih,* mhd. *retich,* nhd. *Rettich.*

Vicia, ahd. *wiccha,* mhd. *wicke,* nhd. *Wicke.*

Boletus, ahd. *puliz,* mhd. *bülez,* nhd. *Pilz.*

Caput, ahd. *chapuz,* mhd. *Kappus,* nhd. *Kappes.*

Apium, ahd. *epfi,* mhd. *epfich,* nhd. *Eppich.*

Beta, ahd. *bieza,* mhd. *bieze,* nhd. *Beete.*

Ut ex his plantis cibus efficeretur, necesse erat ad Germanos aliquam coquendi scientiam pervenisse. Hanc nempe etiam a Romanis tenuerunt. Quamobrem non mirabile erit germanica vocabula quæ ad hunc rerum ordinem pertinent de latinis flexa esse. Occurrunt enim germanice immutata :

Coquus, ahd. *choh,* mhd. *koch,* nhd. *Koch.*

Coquere, ahd. *chochon,* mhd. *kochen,* nhd. *kochen.*

Cucina, ahd. *chuhhina,* mhd. *küchin,* nhd. K*üche.*

Acetum (in formam *atecum* translatum) ahd. *ezzih,* mhd. *ezzich,* nhd. *Essig.*

Piper, ahd. *pfeffar,* mhd. *pfeffer,* nhd. *Pfeffer.*

Cuminum, ahd. *chumin,* mhd. *kümel,* nhd. K*ümmel.*

Oleum, ahd. *olei* et *oli,* mhd. *œl,* nhd. *Oel.*

Sinapi, ahd. *senaf,* mhd. *senef,* nhd. *Senf.*

Antequam coquorum artes florerent, caseum

inter præcipuas Germanorum escas fuisse docet Cæsar. Ut res antiquitus nota, sed fortasse novo modo confecta, designaretur, latinum vocabulum accessit. A *caseus* initium traxere ahd. *chasi*, mhd. *kæse*, nhd. *Kæse*.

Eodem tempore panis faciendi artem ultra Rhenum importatam esse nomen *pistor* demonstrare videtur, quod ahd. in forma *phistor*, nhd. in formis *Pfister* et *Pfizer*, sed præsertim gentilicium, invenimus.

Ut esculenta, ita et potulenta immutata sunt. Vinum in proximas Rheni provincias advectum fuisse jam narrat Tacitus. E latino novi potus nomine natum videmus ahd. *win*. mhd. *win*, nhd. *Wein*. Sub Probi imperatoris principatu primæ vineæ in Alsatia a romanis colonis consitæ fuerunt, et verisimile est mox etiam uvis lætatos esse omnes apricos colles qui in utraque Rheni ripa usque ad confluentem Mosellam porriguntur, et inter quos celeberrimus hodie Johannis mons, vulgo Johannisberg, nuncupatur. Notandum est Germaniæ non a Romanis tradita esse vocabula quæ vites et uvas designant. *Rebe* ab indo-europæa stirpe *rebh*, *Traube* ab ignota originem ducit. Contra, plerasque appellationes ad conficiendi vini fabricationem aut ad confecti usum pertinentes a lingua latina germanica mutuata est. E quibus sunt :

Mustum, ahd. *most*, mhd. *most*, nhd. *Most*.
Lora, ahd. *lura*, mhd. *lure*, nhd. *Lauer*.
Calix, ahd. *chelih*, mhd. *kelch*, nhd. *Kelch*.

Bicarium, ahd. *behhari,* mhd. *becher,* nhd. *Becher.*

Copa, ahd. *chuofa,* mhd. *kuofe,* nhd. K*ufe.*

Romani mercatores qui in Germania peregrinabantur secum aliquas locutiones sibi familiares traxerunt. Ita monetæ nomen ad Germanorum aures pervenit, a qua stirpe ahd. *munizza,* mhd. *münze,* nhd. *Münze* exiit. *Pondus* in ahd. *pfunt,* mhd. *pfunt,* nhd. *Pfund* transiit. A *caupo,* alii ahd. *choufon,* mhd. *koufen,* nhd. *kaufen* derivata esse existimant, alii infitiantur[1]. Nihil equidem video cur prioris sententiæ fides infirmari debeat. Dum pro auro et argento veterrima, ab asiaticis populis tradita, vocabula Germani servaverant, pro cupro latinum sumpserunt, ita ut ahd. *chupfar,* mhd. *kupfer*, nhd. *Kupfer* diceretur.

Addendum est a Romanis Germanos in arte vias sternendi edoctos fuisse, quibus commercia inter diversas gentes faciliora efficerentur. Opera illa trans Rhenum porrecta sunt quæ legiones adeo firmiter fundabant et substruebant, ut hodie adhuc eorum nos obstupefaciant vestigia. E *via strata,* amisso nomine, soloque superstite participio, ahd. *straza,* mhd. *straze,* nhd. *Strasse* evasit. Inde nomen civitatis *Strazpurc, Strassburg,* derivatum.

Pauca mihi citanda sunt militaria nomina e latinis germanice inversa. Haud ægre cur ita res se habeat intelligetur. Cum antiquitus Germaniæ po-

[1] Kluge, *Etymologisches Wœrterbuch.*

puli bellicosissimi, frameisque et scutis instructi essent, quibus in præliis peritissime utebantur, romana arma acquirere supervacaneum erat. Quamobrem vix duo armorum nomina reperire est, quæ a latino in germanicum sermonem migravere, videlicet *pilum,* unde ahd. *pfil,* mhd. *pfil,* nhd. *Pfeil* et *sparum,* unde ahd. *sper,* mhd. *sper,* nhd. *Speer.* Apud Romanos moris erat castra et oppida vallis munire; postquam hoc etiam apud Germanos in consuetudinem verterat, hi nomen adhibuerunt, ex quo *Wall* tenemus. A legionibus debellatos catenæ manebant; e tristis rei vocabulo facta sunt ahd. *chetina,* mhd. *ketene,* nhd. *Kette.* A subjectis tributa exigebantur; inde ahd. *tribuz,* nhd. *Tribut.*

Perpaucis animalibus, in hoc saltem temporis spatio, Germani latina nomina dederunt, nimirum quia pleraque domestica animalia jam antiquitus noverant, cum in Asia nondum a communi indo-europæarum gentium familia disjuncti viverent. Conspicuum est ab iis quæ latine appellata fuerunt nullam vel in agris, vel domi utilitatem præberi. Sunt raræ aves aut monstra quorum imagines seu poetæ, seu imbutum superstitione vulgus finxerant, videlicet :

Psittacus, ahd. *psittich,* mhd. *sittich,* nhd. *Sittich.*

Pavo, ahd. *pfawo,* mhd. *pfawe,* nhd. *Pfau.*

Draco, ahd. *trahho,* mhd. *trache,* nhd. *Drache.*

Gryps, ahd. *grîfo,* mhd. *grîf,* nhd. *Greif.*

Varias denique referre decet appellationes quæ nos præterit quam propter causam eo tempore in Germaniam devenerint. Inter quas eminent :

Pipa, ahd. *pfifa,* mhd. *pfife,* nhd. *Pfeife.*

Sabbati dies, ahd. *sambaz-tac,* mhd. *sameztac,* nhd. *Samstag.*

Mutare, ahd. *muzzon,* mhd. *muzen,* nhd. nomen *Mause.*

Pipita, ahd. *pfiffiz,* mhd. *pfiffiz,* nhd. *Pips.*

Vivarium, ahd. *wiwari,* mhd. *wiwære,* nhd. *Weiher.*

Securus, ahd. *sihhur,* mhd. *sicher,* nhd. *sicher.*

Curtus, ahd. *churz,* mhd. *kurz,* nhd. K*urz.*

Forsitan aliquis quæret quo jure, cum ex hoc primo ævi spatio nulla scripta supersint, omnia vocabula quæ supra exposui jam tunc exstitisse conjiciam. Non desunt indicia quibus tanta eorum vetustas confirmetur. Primum, multa in diversis linguis reperiuntur, quæ una et eadem familia cum germanica erant, priusquam hæc in formas *hochdeutsch* et *niederdeutsch* scinderetur. Secundum, litteras eorum verborum, quæ ante septimum sæculum e latina lingua in germanicam migraverunt, juxta quasdam leges immutatas comperimus, ita ut his mutationibus, quas in altera operis mei parte persequar, tanquam imposito stigmate plerumque sese agnoscenda præbeant.

CAPUT II.

DE TEMPORE QUO LINGUA GERMANICA *ALTHOCHDEUTSCH* ERAT.

Hoc secundum ævi spatium, ut supra dixi, a septimo post Christum natum sæculo usque ad undecimum extenditur. Tunc incipit, cum mira consonantium mutatio, quæ vulgo *substitutio,* germanice *Lautverschiebung* appellatur, jam peractum aliquid ac finitum est; exeuntis indicium, postremarum syllabarum vim evanescere, adeo ut post undecimum sæculum minime jam sonent, sed quasi umbræ clariorem vocabuli partem comitentur.

Intra hos terminos novæ res Germaniam penitus commoverunt, scilicet christiana religio affulsit, et Carolus Magnus imperii instauravit dignitatem.

Maximi momenti tam graves immutationes in lingua fuerunt. Cum enim Roma christianæ religionis præcipua sedes esset, cum in Urbe æterna summus pontifex regnaret, ejus legatos, qui novam fidem in orbem universum diffundebant, quocumque aliquam latini sermonis partem secum

afferre necesse erat. Ex iis qui Evangelium populis Ertham, Tuistonem et Wodanum colentibus nuntiarunt celeberrimus est sanctus Bonifacius qui multos per annos Germaniam peragravit, ut falsa numina aboleret. Sæpissime autem accidebat ut, cum christiani episcopi et clerici ad doctrinam suam vulgandam eniterentur, germanica lingua vocabulis careret ad exprimendas cogitationes necessariis. Opus fuit rudem et inopem sermonem ita informare ut res nunquam a Germanis auditas aut occultas et penitus abditas enuntiare posset. Idcirco in monasteriis quæ undique surgebant magnus susceptus est labor. Nempe libros sacros clerici a latina lingua in germanicam transtulerunt, alii sedulo quærentes, alii negligenter, quod barbarum vocabulum pro latino ponere liceret. Sic exstiterunt opera, quorum nobis fragmenta saltem supersunt, nempe ex octavo sæculo translatio tractatus cui Isidorus Sevillanus episcopus *De nativitate Christi* inscripserat, sancti Benedicti *Regula* a Kerone monacho conversa, e nono *Evangeliorum Harmonia* a Tatiano latine scripta, ab ignoto viro germanice reddita, e decimo aut undecimo *Psalmorum* a Notkero suscepta interpretatio.

Interdum etiam sese clerici in profanorum scriptorum operibus transferendis exercebant. Idem hic Notkerus Boetii *De Consolatione philosophiæ* librum, Martiani Capellæ *De Nuptiis Mercurii et Philologiæ* duos primos libros germanice reddidit.

Germanicæ linguæ, qualis in his omnibus scriptis apparet, latinam quasi fundamentum fuisse legendo vehementer sentimus. Illis etiam viris, qui, ut germanicæ *Evangeliorum Harmoniæ* auctor, ne latinis verbis uterentur cavebant, non contigit latinam quamdam formam effugere, cum latinarum sententiarum ordinem religiosissime servarent. Testimonio sint aliquot sententiæ ex *Harmonia* excerptæ, cum versione quam inter lineas scribere licet, ne minima quidem parte immutata, tam fideliter ad latinum exemplar respondet :

Et videntes eum supra mare
Inti sie gisehente inan oba themo sewe

ambulantem, turbati sunt dicentes quia
gagantan gitruohte wurdun quedente thaz iz

fantasma est. Et præ timore clamaverunt
giskin ist. Inti bi forhtun arriofun

statimque Jesus locutus est eis
inti sartho ther heilant sprah in

dicens habete fiduciam[1].
quedenti habet ir beldida.

Mire hæc lingua sonat, ut si quis hodie loquatur : « Und sie sehend ihn auf der See gehend « getrübt wurden sagend dass es Gespenst ist, « und vor Furcht ausriefen und sobald der Heiland sprach ihnen sagend : habet ihr Zutrauen. »

[1] Graff, *Althochdeutscher Sprachschatz*, p. LXIX.

Alii scriptores, nimium festini, exspectare nesciebant donec vocabulum eis occurreret quod in latini loco ponere liceret, et latinum retinebant modo leviter in germanicam speciem inflexum, modo inviolatum. Eorum libri singularem mixturam præbent germanicæ orationis cum latina per saturam collatæ. Exemplo sit hic locus, quem annotationibus et commentariis plenum e *Nuptiis Mercurii et Philologiæ* a Notkero conversis transcribendi venia sit :

« Tunc Melpomene. Tu bist quon in scenis ze singenne diu sang tero gescûohton tragicorum mit coturnis. Coturni waren ze beiden fuozen geskaffene scuha. Scena was ein finster gadem in mittemo theatro. Dar inne gesazen die auditores tero fabularum tragicarum alde comicarum. Unde anahaban daz kescuhe dero comicorum [1]. »

Hæc denique causa fuit cur christiana religio latina elementa sese germanico sermoni miscentia adjuverit, nempe in omnibus monasteriis scholas institutas fuisse in quibus antiquorum scriptorum, ac præsertim romanorum opera interpretari moris erat. Laudatur quidam episcopus Meinwerck nomine, quod sub ejus principatu « viguit Horatius magnus, Virgilius, Crispus Sallustius et urbanus Statius ; ludusque fuit omnibus insudare versibus et dictaminibus, jucundisque cantibus [2]. » Virgilium secuti sunt duo monachi, ambo Ekkehard nuncupati, qui in sancti Galli

[1] Graff, *Althochdeutscher Sprachschatz*, p. LIII.
[2] Cholevius, p. 11.

monasterio præclarum de *Walthario* poema latine composuerunt. In monasterio Gandersheimiensi non ignobilis Hroswitha, Terentio magistro, latinas comœdias describebat. In monasteriis etiam fictæ sunt plurimæ latinæ fabulæ quarum auctores Phædri valde meminisse existimes. Monasteria quasi latinitatis foci erant, unde continuo aliquam partem e Virgilii aut Terentii sermone in Germaniam transgredi necesse erat.

Minus, non negligendum tamen, momentum Caroli Magni imperatoria potestas habuit ad latina elementa in Germanorum linguam ingerenda. Cum pro Cæsarum hærede haberetur, fuit ejus regno romana quædam majestas. In gubernandis provinciis, in publicandis edictis sæpissime latino sermone utendum erat. Latina nomina ejus ministri gerebant.

Quemadmodum episcopi in monasteriis, ita Carolus in aula sua et in quibusdam urbibus scholas instituit, quarum discipuli in bonarum artium, nec minime in antiquarum litterarum studio alerentur. Has scholas ad vulgandum in Germania latinum eloquium haud parum contulisse nihil habet dubitationis.

Carolus tandem christianæ religioni maxime profuit quam armis defendere et extendere nunquam desiit. Felicia bella quæ adversus Saxones gessit effecerunt ut cum Christianorum doctrina etiam latini sermonis auctoritas, quo ea doctrina magnopere exprimebatur, in Germania cresceret et invalesceret.

Animadvertamus jam in superiore ævi spatio non omnes voces quas exposui emendatæ locutionis fuisse, sed multas inquinatas et barbarie infuscatas. In spatio quod nunc perlustramus ex impuriore etiam fonte Germania latina vocabula hausit, quæ in sermonem suum erat diffusura. Nec mirum. Quantum enim lingua romana qua sacerdotes in christianis cæremoniis utebantur ab illa degeneraverat, quam olim Quirites in foro a M. Tullii ore percipiebant! Minime etiam priscæ orationis ea similis erat, quæ in Caroli aula audiebatur. Cum imperii forma renovata fuisset, cum nova vitæ ratio ex omni parte esset instituta, necesse fuerat

Indiciis monstrare recentibus abdita rerum.

Coaluerat ea pravissima et incultissima loquendi consuetudo quæ nomen *mediæ latinitatis* accepit. Hujus subrustici sermonis maxima pars in germanicum migravit.

Cum romani sacerdotes ad nova sacra apud Germanos importanda enisi sunt, vix unum et alterum vocabulum rudis populi lingua possidebat, quod ad exprimendas novas res idoneum esset. Hæc perpauca verba Germani a Gothis acceperant quos a græcis arianæ religionis fautoribus ad Christum colendum allectos fuisse compertum est. Inter quæ insignia sunt κυριακή, πάππας, πεντεκοστή, ἐπίσκοπος, ἄγγελος, διάβολός, unde ahd. *chirihha, pfaffo, fimfchusti,*

biscof, angil, tioval, nhd. *Kirche, Pfaffe, Pfingsten, Bischof, Engel, Teufel*. E Gothorum proprio sermone duas voces arreptas esse creditur, quæ *ethnicos* et *baptisma* designarent, et unde *Heide* et *Taufe* defluxerint. Una e vetere Germanorum sermone superstes *Paschas* expressit, nempe *Ostern*, quod olim festæ ethnicorum diei nomen fuerat. Cuncta cetera vocabula quæ aut sacerdotes, aut institutas in Ecclesia dignitates, aut solennia sacra, aut quæcumque ad ritus pertinentia indicarent, Germanis ea ætate latina lingua tradidit.

Ante omnia Christi nomen referendum est, quod ahd. *Christ*, ut hodie, sonabat, dum pro christiano homine non, ut hodie, etiam *Christ*, sed *christan* dicebatur. Simul et crucis nomen in ahd. *chrûzi* mutatum est. Tunc quoque voces *Judæo, Ebraïsc, Antichristo*, et aliæ ejusdem generis usitatæ.

Personarum quæ in Ecclesia officio aliquo funguntur hæc nomina reperimus :

Abbas, ahd. *abbat*, mhd. *abbet* et *apt*, nhd. *Abt*.

Archiepiscopus, ahd. *erzibiscoff*, mhd. *erzbiscof*, nhd. *Erzbischof*.

Custos, ahd. *kustor*, mhd. *küster*, nhd. *Küster*.

Mansionarius, ahd. *mesinari*, mhd. *messenære*, nhd. *Mesner*.

Monachus, ahd. *munih*, mhd. *munech*, nhd. *Mœnch*.

Nonna, ahd. *nunna*, mhd. *nunne*, nhd. *Nonne*.

Papa, ahd. *babes*, mhd. *babest*, nhd. *Papst*.

Peregrinus, ahd. *piligrim*, mhd. *bilegrim*, nhd. *Pilgrim* et *Pilger*.

Presbyter, ahd. *priestar,* mhd. *priester,* nhd. *Priester.*

Propositus, ahd. *probost,* mhd. *probest,* nhd. *Propst.*

Sacrista, ahd. *sigristo,* mhd. *sigriste,* nhd. *Sigrist.*

Inter sanctorum nomina qui in precibus invocabantur nobis occurrunt :

Apostolus, ahd. *apostul* et *postul,* mhd. *postel,* nhd. *Apostel.*

Martyr, ahd. *martirari,* mhd. *merterer,* nhd. *Mærtyrer.*

Ædificiis quæ in Dei honorem struebantur, iis quæ sacerdotes et monachi habitabant, sicut et sacræ supellectili eædem germanice quæ latine appellationes hæserunt, videlicet :

Abbatia, ahd. *abbateia,* mhd. *abbateie,* nhd. *Abtei.*

Absida, ahd. *absita,* mhd. *absite,* nhd. *Abseite.*

Altar, ahd. *altari,* mhd. *altare* et *alter,* nhd. *Altar.*

Ampulla, ahd. *ampulla,* mhd. *ampulle,* nhd. *Ampel.*

Domus (dei), ahd. *tuom,* mhd. *tuom,* nhd. *Tum* et *Dom.*

Cancelli, ahd. *kanzella,* mhd. *kanzel,* nhd. *Kanzel.*

Capella, ahd. *kapella,* mhd. *kapelle,* nhd. *Kapelle.*

Clausa, ahd. *klusa,* mhd. *kluse,* nhd. *Klause.*

Claustrum, ahd. *klostar,* mhd. *kloster,* nhd. *Kloster.*

Lectorium, ahd. *lectar,* postea excidit.

Organa, ahd. *organa,* mhd. *orgene,* nhd. *Orgel.*

Templum, ahd. *tempal,* mhd. *tempel,* nhd. *Tempel.*

In ornatu quem sacerdotes in cæremoniis induunt hæ partes latino nomine designatæ apparent :

Alba, ahd. *alba,* mhd. *albe,* nhd. *Albe.*

Stola, ahd. *stola,* mhd. *stole,* nhd. *Stole.*

Vitta, ahd. *witta,* postea excidit.

Cæremoniæ et ritus pæne omnes nomina servaverunt quæ latine tulerant :

Epistola, ahd. *epistula,* mhd. *pistel,* nhd. *Epistel.*

Feriæ, ahd. *fira,* mhd. *vîre,* nhd. *Feier.*

Firmare, ahd. *firmon,* mhd. *firmen,* nhd. *firmen.*

Hymnus, ahd. *imno,* mhd. *imne,* nhd. *Hymne.*

Lectio, ahd. *lecza,* postea excidit.

Matutina, ahd. *mattina,* mhd. *mettene,* nhd. *Mette.*

Missa, ahd. *missa* et *messa,* mhd. *messe,* nhd. *Messe.*

Nona (hora), ahd. *nona,* mhd. *nône,* nhd. *None.*

Offerre, ahd. *opharon,* mhd. *opfern,* nhd. *opfern.*

Parabola, ahd. *parabola,* mhd. *parabel,* nhd. *Parabel.*

Psalmus, ahd. *psalmo,* mhd. *psalme,* nhd. *Psalm.*

Prædicare, ahd. *predigon*, mhd. *bredigen*, nhd. *predigen*.

Signum (crucis), ahd. *segan*, mhd. *segen*, nhd. *Segen*.

Vespera, ahd. *vespera*, mhd. *vesper*, nhd. *Vesper*.

Multa quæ christiana religio de Dei natura, de fidei mysteriis, de vita æterna, de amandis ceteris hominibus, de moribus informandis præcipiebat germanice latinis verbis fuerunt enuntiata. Similia manserunt :

Castigare, ahd. *chastigon*, mhd. *kestigen*, nhd. *kasteien*.

Damnare, ahd. *(fir-) damnon*, mhd. *verdamnen*, nhd. *verdammen*.

Elemosyna, ahd. *alamuosan*, mhd. *almuosen*, nhd. *Almosen*.

Natura, ahd. *natura*, mhd. *nature*, nhd. *Natur*.

Trinitas, ahd. *dhrinissa*, postea excidit.

Paradisus, ahd. *paradisi*, mhd. *paradîse*, nhd. *Paradies*.

Pœna, ahd. *pîna*, mhd. *pîne*, nhd. *Pein*.

Plaga, ahd. *plaga*, mhd. *plage*, nhd. *Plage*.

Monachi aliquot verba ad vitæ suæ rationem spectantia in publicum sermonem immiserunt, qualia :

Decima, ahd. *dezemo*, mhd. *dezem*, nhd. *Decem*.

Ordo, ahd. *ordina*, mhd. *ordene*, nhd. *Orden*.

Præbenda, ahd. *pfruonta*, mhd. *pfruondé*, nhd. *Pfründe*.

Regula, ahd. *regula*, mhd. *regele*, nhd. *Regel*.

Sacerdotes et monachi non tantum in animis ad novam religionem adducendis operam dabant, sed etiam in ægrorum corporibus curandis. Videtur eis celebris sententia præluxisse : « Mens sana in corpore sano. » Primi in Germania medicinam exercuerunt. Hac de causa tunc verba vulgata sunt medicos ipsos, corporis partes, morbos, remedia, denique supellectilem quæ in usu medico est exprimentia :

Archiater, ahd. *arzat,* mhd. *arzet,* nhd. *Arzt.*

Amputare, ahd. *impiton* et *impfiton,* mhd. *impfeten,* nhd. *impfen.*

Balsamum, ahd. *balsamo,* mhd. *balsame,* nhd. *Balsam.*

Cancer, ahd. *kankar,* mhd. *kanker,* nhd. *Kanker.*

Capsa, ahd. *kafsa,* mhd. *kafse,* nhd. *Capsel.*

Cauterium, ahd. *cautari,* postea excidit.

Cholera, ahd. *choloro,* mhd. *cholere,* nhd. *Cholera.*

Febris, ahd. *fiebar,* mhd. *vieber* et *biever,* nhd. *Fieber.*

Fistula, ahd. *fistul,* mhd. *vistel,* nhd. *Fistel.*

Emplastrum, ahd. *pflastar,* mhd. *pflaster,* nhd. *Pflaster.*

Gurgulio, ahd. *gurgula,* mhd. *gurgel,* nhd. *Gurgel.*

Lumbulus, ahd. *lumbal,* postea excidit.

Phlebotomum, ahd. *fliotuma,* mhd. *vlieten,* nhd. *Fliete.*

Pyxis, ahd. *puhsa,* mhd. *buhse,* nhd. *Büchse.*

Temperare, ahd. *temparon* (id est curare), postea excidit.

Salvegia, ahd. *salveia,* mhd. *salveie,* nhd. *Salbei.*

Zeduarium, ahd. *citawar,* mhd. *zitwar,* nhd. *Zitwer.*

Quantum momenti in Germanis a fera barbaraque vita ad humanum et civilem cultum deducendis, quantum in instituenda novi imperii forma monachi habuerint civitas testatur quæ ab iis nomen suum obtinuit, nempe *Monachi monachorum,* ahd. *Munihha,* nhd. *München.*

Simili modo alius urbis nomen testimonio est quali vice in regendo imperio suo Carolus Magnus functus sit, quippe cujus potestas religione christiana tanquam firmamento fulciretur. Est urbs ea Munster, ahd. *Munustiri,* sic a monasterio dicta quod in Westphalia situm Carolus muniendum et in oppidi speciem amplificandum esse existimavit, ita ut finitimos Saxones simul et christiana fides mansuefaceret et armorum vis coerceret.

Alia latina nomina, quibus instauratum imperium germanicam linguam ditavit, ea sunt quibus principis insignia, principis ministri indicabantur, sicut et quædam ad administrandam rempublicam aut res judiciarias pertinentia. Ex eorum numero sese nobis præbent :

Corona, ahd. *corona,* mhd. *krône,* nhd. *Krone.*

Advocatus, ahd. *fogat,* mhd. *voget,* nhd. *Vogt.*

Camerarius, ahd. *kamarari,* mhd. *kamerære,* nhd. *Kæmmerer.*

Cancellarius, ahd. *kanzellari,* mhd. *kanzellære,* nhd. *Kanzler.*

Notarius, ahd. *notari,* mhd. *notære,* nhd. *Notar.*

Major, ahd. *meior,* mhd. *meiger,* nhd. *Meier.*

Capitulum, ahd. *kapitul,* mhd. *kapitel,* nhd. *Kapitel.*

Mandatum, ahd. *mandat,* mhd. *mandat,* nhd. *Mandat.*

Census, ahd. *zins,* mhd. *zins,* nhd. *Zins.*

Circus, ahd. *circ,* mhd. *zirc,* nhd. *(Be-) zirk.*

Magna latinorum verborum copia e scholis seu a Carolo seu a monachis institutis in germanicam linguam transgressa est. Hujuscemodi indicanda sunt :

Atramentum, ahd. *atraminza,* postea excidit.

Brevis (epistola), ahd. *briaf,* mhd. *brief,* nhd. *Brief.*

Carmina (pangere), ahd. *garminon;* nhd. rursus nomen *Carmen* apparuit.

Creta, ahd. *krida,* mhd. *krîte,* nhd. *Kreide.*

Dictare, ahd. *tihton,* mhd. *tihten,* nhd. *dichten.*

Discere, ahd. *tisco,* postea excidit.

Latinus, ahd. *latinisc,* mhd. *latînisc,* nhd. *lateinisch.*

Libellus, ahd. *libell.*

Linea, ahd. *linea,* mhd. *linie,* nhd. *Linie.*

Magister, ahd. *meistro,* mhd. *meister,* nhd. *Meister.*

Minium, ahd. *minig,* mhd. *menig,* nhd. *Mennig.*

Pagina, ahd. *peine,* postea excidit.

Pergamentum, ahd. *pergamint,* mhd. *pirmît,* nhd. *Pergament.*

Sigillum, ahd. *insigili,* mhd. *insigel,* nhd. *Siegel.*

Rotula, ahd. *rodel,* mhd. *rulle,* nhd. *Rolle.*

Schola, ahd. *scuola,* mhd. *schuole,* nhd. *Schule.*

Scribere, ahd. *scriban,* mhd. *schrîben,* nhd. *schreiben.*

Tincta (aqua), ahd. *tincta,* mhd. *tinkte,* nhd. *Tinte.*

Tractare, ahd. *trahton,* mhd. *trahten,* nhd. *trachten.*

Versus, ahd. *vers,* mhd. *fers,* nhd. *Vers.*

Dum christiana religio et Caroli Magni regnum Germaniæ statum tantopere convertebant, non evanescebat vitæ cultus ad quem Romani gentem provexerant. Immo invaluere omnia instituta quibus in superiore ævi spatio mores politiores esse et vitæ commoditates augeri cœperant. Itaque, si quodque rerum genus repetemus quas a Romanis usque ad septimum sæculum traditas exprompsi, ab hoc tempore multo amplius fieri patebit.

Vocabulis quæ ædificia et ædificiorum partes exprimebant hæc accesserunt :

Camera, ahd. *kamara,* mhd. *kamere,* nhd. *Kammer.*

Caminata, ahd. *keminata,* mhd. *kemenate,* nhd. *Kemenate.*

Circulus, ahd. *zirkil,* mhd. *zirkel,* nhd. *Zirkel.*

Gypsum, ahd. *gips,* mhd. *gips,* nhd. *Gips.*

Porta, ahd. *porta,* mhd. *porte,* nhd. *Pforte.*

Tunica, ahd. *tunihha,* unde verbum *tunihhon,* nhd. *tünchen.*

Turris, ahd. *turri,* mhd. *turn,* nhd. *Turm.*

Prope immodico verborum numero tunc Germani potiti sunt, quæ a Romanis de agris aut hortis colendis erant usitata. Aliquot tantum referam :

Avena, ahd. *evina;* ex alia stirpe exiit nhd. *Hafer.*

Buxus, ahd. *buhs,* mhd. *buhs,* nhd. *Buchs.*

Castanea, ahd. *kestinna,* mhd. *kestene,* nhd. *Kastanie.*

Cœpulla, ahd. *zipolla,* mhd. *zwibolle,* nhd. *Zwiebel.*

Cornolium, ahd. *cornul,* mhd. *cornel,* nhd. *Kornelle.*

Ficus, ahd. *figa,* mhd. *fige,* nhd. *Feige.*

Flagellum (ad terendum frumentum), ahd. *flegil,* mhd. *vlegel,* nhd. *Flegel.*

Ibiscum, ahd. *ibisca,* mhd. *ibische,* nhd. *Eibisch.*

Lactuca, ahd. *lattuh,* mhd. *lattech,* nhd. *Lattich.*

Lilia, ahd. *lilja,* mhd. *lilje,* nhd. *Lilie.*

Lubisticum, ahd. *lubistechal,* mhd. *liebstuckel,* nhd. *Liebstœckel.*

Lupinus, ahd. *luvina,* postea excidit.

Margila, ahd. *mergil,* mhd. *mergel,* nhd. *Mergel.*

Mespila, ahd. *mespila,* mhd. *mespel,* nhd. *Mispel.*

Petrosilium, ahd. *petarsili,* mhd. *petersîle,* nhd. *Petersilie.*

Puleium, ahd. *pulei,* mhd. *polei,* nhd. *Polei.*

Pyretrum, ahd. *perhtram,* mhd. *berhtram,* nhd. *Bertram.*

Rosa, ahd. *rosa,* mhd. *rose,* nhd. *Rose.*

Viola, ahd. *viola,* mhd. *viole* et *vîel,* nhd. *Veilchen.*

Multa vocabula illis addita quæ secum romana luxuries in Germaniam adduxerat demonstrant quam cito gens haud dudum aspera a fero vivendi modo discesserit et semper elegantiora persequeretur. Tunc lepidæ aut molles vestes, tunc gemmæ, tunc odoramenta, tunc magnus lautitiarum apparatus. Ita importata sunt :

Achates, ahd. *achates,* mhd. *achat,* nhd. *Achat.*

Adamas, ahd. *adamant,* mhd. *diamant,* nhd. *Demant.*

Æstivale, ahd. *stival,* mhd. *stiful,* nhd. *Stiefel.*

Cendalum, ahd. *zendal,* mhd. *zendal,* nhd. *Zindel.*

Cithara, ahd. *zitera,* mhd. *zitere,* nhd. *Zither.*

Crystallus, ahd. *kristalla,* mhd. *kristal,* nhd. *Krystall.*

Ebena, ahd. *ebena,* mhd. *eben(-boum),* nhd. *Eben(-baum).*

Lavendula, ahd. *lavendla,* mhd. *lavendel,* nhd. *Lavendel.*

Lyra, ahd. *lîra,* mhd. *lîre,* nhd. *Leier.*

Mantellum, ahd. *mantal,* mhd. *mantel,* nhd. *Mantel.*

Marmor, ahd. *marmor* et *marmul*, mhd. *marmel*, nhd. *Marmel.*

Musica, ahd. *musica*, mhd. *musike*, nhd. *Musik.*

Nardus, ahd. *narda*, mhd. *narde*, nhd. *Narde.*

Pellicia, ahd. *pelliza*, mhd. *belz*, nhd. *Pelz.*

Smaragdus, ahd. *smaragd*, mhd. *smarat*, nhd. *Smaragd.*

Seta, ahd. *sida*, mhd. *sîde*, nhd. *Seide.*

Tunc etiam corruptos fuisse virorum mores existimes quorum Tacitus caste habita matrimonia laudaverat. Quid lena et lupa essent noverunt Germani, teste lingua quæ nomina *lupa* et *lenne*, postea amissa, continet.

Delicatiores epulas fuisse indicant :

Anisum, ahd. *anis*, mhd. *enis*, nhd. *Anis.*

Bracellum, ahd. *brizzilla*, mhd. *brezel*, nhd. *Bretzel.*

Butyrum, ahd. *butera*, mhd. *buter*, nhd. *Butter.*

Cinamonium, ahd. *sinamin*, mhd. *zinment*, nhd. *Zimmet.*

Crusta, ahd. *crusta*, mhd. *kruste*, nhd. *Kruste.*

Simila, ahd. *simila*, mhd. *semele*, nhd. *Semmel.*

Utensilia, vasa, instrumenta tunc quamplurima illorum copiam auxerunt quæ jam antea Germani a Romanis acceperant et pæne omnibus adventicia mansit appellatio. Pauca referre satis sit :

Baccinum, ahd. *becchin*, mhd. *becken*, nhd. *Becken.*

Butica, ahd. *botahha*, mhd. *boteche*, nhd. *Bottich.*

Cavea, ahd. *chevia,* mhd. *kevje,* nhd. *Kæfig.*

Galeta, ahd. *gellita,* mhd. *gelte,* nhd. *Gelte.*

Lagena, ahd. *lagella,* mhd. *lægele,* nhd. *Legel.*

Scamellum, ahd. *scamal,* mhd. *schamel,* nhd. *Schemel.*

Strigilis, ahd. *strigil,* mhd. *strigel,* nhd. *Striegel.*

Tractarius, ahd. *trahtari*, mhd. *trihter*, nhd. *Trichter.*

E nominibus quæ operarios aut homines artificium quoddam exercentes designant plura mihi præsto sunt :

Sutor, ahd. *sutari,* ex quo cum *schuoh* (calceus) composito mhd. *schuohsutære,* nhd. *Schuster,* exiit.

Molinarius, ahd. *mulinari,* mhd. *mulnære,* nhd. *Müllner* (nomen gentilicium) et *Müller.*

Macellarius, ahd. *mezzilari,* mhd. *metzjære,* nhd. *Metzger.*

Dum ante septimum sæculum vix quatuor aut quinque latina animantium nomina a Germanis adhibita fuerant, nunc maxima copia linguam locupletat. Nec jam tantummodo rara animalia designant, sed nonnulla quæ in quotidiano usu sunt. Sic germanicum *Ross* ferme fugatur a barbaro *paraveredus* (unde gallicum *palefroi*), quod ahd. *parafrit,* mhd. *pferft, pfert,* sonuit et hodie *Pferd* est. Alia nomina seu domesticarum pecudum sunt, seu extranearum, seu etiam ferarum :

Aspis, ahd. *aspid,* postea excidit.

Dama, ahd. *damo,* mhd. *tame,* nhd. *Dam(-bock).*

Elephas, ahd. *elafant,* mhd. *helfant,* nhd. *Elefant.*

Falco, ahd. *falcho*, mhd. *valke*, nhd. *Falke*.

Fasianus, ahd. *fasan*, mhd. *fasant*, nhd. *Fasan*.

Lamprete, ahd. *lamprêta*, mhd. *lamprête*, nhd. *Lamprete*.

Leo, ahd. *leo*, mhd. *lewe*, nhd. *Lœwe* et *Leu*.

Leopardus, ahd. *leoparto*, mhd. *lebart*, nhd. *Leopard*.

Mulus, ahd. *mul*, mhd. *mûl*, nhd. *Maul(-thier)*.

Musculus, ahd. *muscula*, mhd. *muschel*, nhd. *Muschel*.

Mus montis, ahd. *murmunti*, mhd. *murmendin*, nhd. *Murmelthier*.

Panthera, ahd. *panthera*, mhd. *panter*, nhd. *Panther*.

Salmo, ahd. *salmo*, mhd. *salme*, nhd. *Salmen*.

Turtur, ahd. *turtul(-tuba)*, mhd. *turteltube*, nhd. *Turteltaube*.

Vespa, ahd. *vefsa*, mhd. *vespe*, nhd. *Wespe*.

Vipera, ahd. *wipera*, mhd. *viper*, nhd. *Viper*.

Mercatorum lingua pariter novis latinis elementis amplificata est, videlicet verbis :

Merx, ahd. *merz*, postea excidit.

Mercatus, ahd. *merchat* et *markat*, mhd. *market*, nhd. *Markt*.

Modius, ahd. *mutti*, postea excidit.

Uncia, ahd. *unza*, mhd. *unze*, nhd. *Unze*.

Sextarius, ahd. *sehstari*, mhd. *sehster*, nhd. *Sester*.

Dies me deficiat, si omnia vocabula quæ ea ætate latinus sermo germanico tradidit singillatim velim commemorare. E diversissimis rerum ordi-

nibus nobis aliqua occurrerent. Nomina referre oporteret qualia *Exil*, *Fenchel* (fœniculum), *Insel* quod adhuc in septimi decimi sæculi libris *Insul* scriptum videmus, *Angst* (angustiæ), *Kanal*, *Kunkel* (conucula), *Pech* (pix), tunc verba, quorum nonnulla rursus e lingua exciderunt, ut amissa *auhon* (augere), *increbon* (increpare), *balbizon* (balbutire), contra vigentia adhuc *irren* (errare), *murmeln* (murmurare), *bohren* (forare), *erkobern* (recuperare), *kuppeln* (copulare), adjectiva etiam inter quæ ahd. *chalaw* nhd. *kahl* (calvus), ahd. *antisk*, nhd. *antik* indicare sufficiet.

CAPUT III.

DE TEMPORE QUO LINGUA GERMANICA *MITTELHOCHDEUTSCH* ERAT.

In ea ætate quam nunc adituri sumus non tam directe quam, ut ita dicam, oblique latina vocabula germanicus sermo accepit. In nonnullis viis jam dudum inceptis, quibus res latinis appellationibus designatæ in Germaniam invehebantur, animi perseveraverunt. Christiana enim religio cum novis institutis novas etiam voces importare haud desinebat. Nec non et scholæ pollebant in quibus Tullii et Maronis memoria retinebatur, et unde semper latinum aliquod verbum in populi linguam transibat. Porro autem bella illa eruperunt quæ Germaniæ viri una cum Galliæ exercitibus in Oriente recuperandæ urbis Hierosolymæ causa suscipiebant. Maxime transrhenanorum hominum aures oblectavit dulcis et canora lingua qua a Sequanæ et a Rhodani ripis venientes utebantur, et patrium sermonem urbanis vicinæ gentis locutionibus ornare visum est. Potissime opera gallice scripta ea ætate Germanis legere gratum fuit ; studia sua libentius ad poetas nostros inclinaverunt,

latinorum paululum obliti. Ita contigit ut Lamprechtus, qui poema de Alexandro Magno scripsit, non latinos libros eamdem materiam pertractantes, sed Alberici Vesontii (Aubry de Besançon) opus sequeretur, ut Henricus a Veldeke, cum Æneidem fingeret, non Virgilii vestigiis insistere, sed tantummodo nostrum Benedictum a Sainte-More in exemplum assumere studeret.

Haud facile discernas quo itinere tum in Germaniam multa vocabula migraverint, quibus latina est origo, utrum directe, an quasi per ambages, medio interveniente Gallorum sermone. Si formæ *conduwieren* et *saluwieren* nobis occurrunt, affirmare licet eas per Galliam transmissas fuisse, cum sint formis *conduire* et *saluer* multo similiores quam latinis *conducere* et *salutare*. Sed sæpius erit ambigendi materia.

Si rerum genera repetemus quæ in superioribus ætatibus latinis nominibus declarata sese ostenderunt, singula rursus adaucta inveniemus. A christianis sacerdotibus addita fuerunt :

Almutia, mhd. *almuz* et *mutze,* nhd. *Mütze.*
Benedicere, mhd. *benedîen,* nhd. *benedeien.*
Maledicere, mhd. *maledîen,* nhd. *maledeien.*
Bulla, mhd. *bulle,* nhd. *Bulle.*
Capellanus, mhd. *kappellan,* nhd. *Kaplan.*
Clausarius, mhd. *klosenœre,* nhd. *Klausner.*
Festum, mhd. *fest,* nhd. *Fest.*
Hospitale, mhd. *spitel,* nhd. *Spital.*
Infula, mhd. *infele,* nhd. *Inful* et *Infel.*
Legenda, mhd. *legende,* nhd. *Legende.*

Novicius, mhd. *novize,* nhd. *Novize.*

Oblata, mhd. *oblate,* nhd. *Oblate.*

Pater (spiritualis), mhd. *pate,* nhd. *Pate.*

Ad designanda imperatorum insignia accesserunt :

Thronum, mhd. *tron,* nhd. *Thron.*

Sceptrum, mhd. *zepter,* nhd. *Zepter* et *Scepter.*

Vocabulis quæ in scholarum usu erant addita reperimus :

Rubrica, mhd. *rubrike,* nhd. *Rubrik.*

Præambulum, mhd. *preambel,* nhd. *Priamel.*

Scedula, mhd. *zedele,* nhd. *Zettel.*

Textus, mhd. *text,* nhd. *Text.*

Artem ædificandi in illo ævo floruisse, ex quo tam mirabilia templa, tam elegantes domus supersunt, satis notum est. Cum Galli in struendis monumentis quæ vulgo gothica dicuntur Germanos præcucurrerint, verisimile est non nulla e latinis vocabulis quibus tunc germanici structores uti cœperunt, non jam latina forma servata, sed in gallicam detorta, tradita fuisse. Flexo per Galliam itinere videntur in Germaniam ingressa esse :

Palatium, mhd. *palas,* nhd. *Palast.*

Planca, mhd. *planke,* nhd. *Planke.*

Pons, mhd. *punt,* postea excidit.

Quod tamen ad alia attinet, nullum fortasse oportet per Galliam circuitum suspicari. Simpliciter e latina lingua hausta esse existimare licet :

Arcora, mhd. *ærker,* nhd. *Erker.*

Caminus, mhd. *kamîn,* nhd. *Kamin.*

Cella, mhd. *zelle,* nhd. *Zelle.*

Quadrum, mhd. *quâdèr*, nhd. *Quader.*

Ut in superiore ævi spatio, multa arborum et plantarum nomina tunc latina lingua Germaniæ præbuit. Ne in iis diutius morer, pauca modo indicare fas sit :

Ascalonium, mhd. *aschlouch*, nhd. *Aschlauch.*

Asparagus, mhd. *spargel*, nhd. *Spargel.*

Abrotomum, mhd. *eberitz*, nhd. *Ebritz.*

Betonica, mhd. *batonje*, nhd. *Bathengel.*

Hederacea (glecoma), mhd. *hederich*, nhd. *Hederich.*

Oliva, mhd. *olive*, nhd. *Olive.*

Populus, mhd. *popel* et *papel*, nhd. *Pappel.*

Ulmus, mhd. *ulm* (*-boum*), nhd. *Ulme.*

Valeriana, mhd. *baldrian*, nhd. *Baldrian.*

Increbruerunt et utensilium nomina, inter quæ adspiciuntur :

Galena, mhd. *galene*, postea excidit.

Sedile, mhd. *gesidele*, id.

Lucerna, mhd. *luzerne*, id.

Penicillus, mhd. *pensel*, nhd. *Pinsel.*

Pulpitum, mhd. *pulpt*, nhd. *Pult.*

Inter cibos reperire est :

Compositum, mhd. *kumpost*, nhd. K*umpest.*

Pappa, mhd. *pap*, nhd. *Pappe.*

Pastata, mhd. *pastete*, nhd. *Pastete.*

Ad invalescentem luxuriam pertinent :

Alabastrum, mhd. *alabaster*, nhd. *Alabaster.*

Beryllus, mhd. *berille*, nhd. *Beryll.*

Carbunculus, mhd. *karbunkel*, nhd. *Carfunkel.*

Corallus, mhd. *koralle*, nhd. *Korall.*

Examitum, mhd. *samat*, nhd. *Samt*.

Margarita, mhd. *margarîte*, postea cognomen *Margarete*.

Matratium, mhd. *matraz*, nhd. *Matratze*.

Sarda, mhd. *sarde*, nhd. *Sarder*.

Ex eo quod Germani una cum Galliæ et Italiæ populis ad Hierosolymam recuperandam Orientem petebant evenit ut ab istis commilitonibus novas eloquii partes mutuarentur quæ præsertim ad militiæ scientiam, ad variam peditatus et equitatus armaturam, alias quoque quæ ad nauticarum rerum usum spectarent. De his vocabulis id maxime valet quod supra dixi, scilicet sæpe in ambiguo esse utrum ea Germani, latina forma nondum amissa, acceperint, an jam ab Italis aut a Gallis corrupta. E militarium nominum ordine hæc excerpam :

Arcubalista (gallice *arbalète*), mhd. *armbrest* et *armbrust*, nhd. *Armbrust*.

Buccina (olim gallice *buisine*), mhd. *busune*, nhd. *Posaune*.

Collarium (gallice *collier*), mhd. *koller*, nhd. *Koller*.

Lancea (gallice *lance*), mhd. *lanze*, nhd. *Lanze*.

Licium (gallice *lice*), mhd. *litze*, nhd. *Litze*.

Pancerea (italice *panciera*) mhd. *panzier*, nhd. *Panzer*.

Truncus (gallice *tronçon*) mhd. *trunzun*, postea excidit.

Turma, mhd. *tirme*, postea excidit.

Ex iis quæ ad maritimos cursus pertinent indicabo :

Barca, mhd. *barke,* nhd. *Barke.*

Navis, mhd. *nawe,* nhd. *Naue.*

Portus, mhd. *port* et *bort,* nhd. *Port.*

Remus, mhd. *rieme,* nhd. *Rieme.*

Itinerum quæ christianæ gentes in Orientem fecerant hunc felicem eventum fuisse nemo ignorat, inter varios populos commercia exerceri cœpisse. Cum et Germania sedulo cum aliis gentibus merces mutare instituisset, mercatorum lingua novis locutionibus amplificata est in quarum numero has e latino fonte ortas exhibere potis est :

Ama, mhd. *ame,* nhd. *Ohm.*

Centenarius, mhd. *zentenære,* nhd. *Zentner.*

Ducatus, mhd. *ducâte,* nhd. *Ducat.*

Grossus, mhd. *grosse,* nhd. *Groschen.*

Pretium, mhd. *prîs,* nhd. *Preis.*

Quintinus, mhd. *quentin,* nhd. *Quentchen.*

Situla, mhd. *sîdel,* nhd. *Seidel.*

Cum Germani Orientis regiones perlustrarent, animalia quædam eis occurrebant patriis silvis ignota, ad quæ designanda latinis appellationibus usi sunt. Inter ea insignia videntur :

Camelus, mhd. *kemel,* nhd. *Kamel.*

Crocodilus, mhd. *cocatrille,* nhd. *Crocodil.*

Pelicanus, mhd. *pellican,* nhd. *Pelican.*

Sed etiam domesticis pecudibus tunc latina nomina data esse reperimus. Duo mihi præsto sunt :

Cuniculus, mhd. *kuniclin,* nhd. *Kaninchen.*

Capo, mhd. *kappûn*, nhd. *Capaun*.

In septimo et in octavo sæculo medicina, ut dixi, a sacerdotibus et monachis exercebatur. Circa tertium decimum eamdem artem profani quoque homines excoluerunt, potissime, peractis in Orientem itineribus, postquam Occidentis populi cum Byzantio consuetudines inierant, cujus urbis medici nomen sibi fecerant amplissimum. Locutiones græco-latinæ quibus Byzantiaci medentes utebantur in totam Europam diffusæ sunt ; eas Germania, ut aliæ gentes, adhibuit. Sic germanicam formam assumpsere :

Camamilla, mhd. *kamille*, nhd. *Kamille*.

Camphora, mhd. *kampfer*, nhd. *Kampfer*.

Corpus, mhd. *korper* et *korpel*, nhd. *Kœrper*.

Lactuarium, mhd. *latwarje*, nhd. *Latwerge*.

Liquiritia, mhd. *lakeritze*, nhd. *Lakritze*.

Majorana, mhd. *meieron* et *meigramme*, nhd. *Majoran*.

Pestilentia, mhd. *pestilenzie*, nhd. *Pestilenz*.

Pulsus, mhd. *puls*, nhd. *Puls*.

Pulvis, mhd. *pulver*, nhd. *Pulver*.

Theriacum, mhd. *triakel* et *driakel*, nhd. *Theriak*.

Quam ob causam circa duodecimum sæculum menses singulos, quibus antea germanica nomina fuerant, latinis nuncupare satius visum est me præterit. In lingua *althochdeutsch* pleraque mensium nomina seu cœli temperiem, seu labores in agris suscipiendos, seu etiam festa in mense celebranda indicabant. Illis similia erant quæ in Gallia

anno 1791 adhiberi cœperunt. Jam tempore quo Carolus Magnus regnabat prima romana mensium vocabula irrepsisse Grimm conjicit; attamen multo post novis indiciis vulgariter usi sunt Germani. Cum latinis in germanica nunc immutatis etiam antiquiora germanica a latinis expulsa referre decet :

Januarius, ahd. *Wintarmanoth,* mhd. *jenner,* nhd. *Jænner* et *Januar.*

Februarius, ahd. *Hornunc,* mhd. *februar,* nhd. *Februar.*

Martius, ahd. *Lenzinmanoth* et *marceo*, mhd. *merze,* nhd. *Mærz.*

Aprilis, ahd. *Ostarmanoth,* mhd. *aberelle,* nhd. *April.*

Maius, ahd. *Wunnimanoth,* mhd. *meie,* nhd. *Mai.*

Junius, ahd. *Brachmanoth,* mhd. *juni,* nhd. *Juni.*

Julius , ahd. *Hewimanoth*, mhd. *juli,* nhd. *Juli.*

Augustus, ahd. *Aranmanoth,* mhd. *ougest,* nhd. *August.*

September, ahd. *Herbistmanoth,* mhd. *september,* nhd. *September.*

October, ahd. *Windumanoth,* mhd. *october,* nhd. *October.*

November, ahd. *Wintarmanoth,* mhd. *november,* nhd. *November.*

December, ahd. *Heilagmanoth,* mhd. *december,* nhd. *December.*

Cum mensium nominibus simul et vocabulum *calendarium*, mhd. *kalendenære*, nhd. *Kalender*, prævaluit.

Non diutius in multis aliis locutionibus morabor quas nullum e rerum generibus a me ordinatis complectitur, et quas singulas expromere fastidio esset. Aliquot nomina, scilicet *Makel*, *Laune*, *Platz*, *Widerpart*, e *macula*, *luna*, *platea*, *pars* orta, adjectiva ut *klar* (clarus), *bunt* (punctus), *parat* (paratus), verba *dauern* (durare) et *foltern* (polletro, id est tormento coercere) proferre suppeditabit.

CAPUT IV.

DE TEMPORE EX QUO LINGUA GERMANICA *NEUHOCHDEUTSCH* DICITUR.

Postquam lingua germanica a forma quæ *mittelhochdeutsch* dicitur, mutatis consonantibus ac præsertim vocalibus, translatoque syllabarum tenore, in formam *neuhochdeutsch* circa quartum decimum sæculum inverterat, satis longum tempus præteriit, donec novis elementis e latino sermone assumptis amplificaretur. Latinas enim litteras, quas jam in medio ævo satis neglexerat, tunc Germania tantum non ignoravit. Hujus inscitiæ auctores præcipue clerici fuerunt qui, ne antiqui poetæ juvenum mentes nimiis illecebris allectas a christiana fide deterrerent veriti, eorum opera longius a scholis amovebant. Si quis, sacerdoti peccata sua rite expromens, se Virgilii carmina legisse confitebatur ad jejunium per aliquot dies servandum aut ad recitandos pœnitentiæ psalmos condemnabatur. De scholæ cujusdam alumno narratur, qui, cum ad capessendos academicos honores eniteretur, inops rei dimissus est, quia die

festa Terentii comœdias pervolutaverat[1]. Cum tam multa studiis impedimenta essent, cum velut claustra viris litteras amantibus romanorum scriptorum aditum obsepirent, ægre latinæ orationis partes apud Germanos invectas esse nemo mirabitur.

Haud secus res se habuit, postquam in multis civitatibus scholæ, vulgo Universitates nuncupatæ, conditæ erant. In iis primum jejuna quædam et sicca scientia adolevit, prava increbruit de aridis philosophiæ aut grammatices quæstionibus disputandi consuetudo. Nulla fuit cupido mentes in legendis antiquorum scriptorum operibus exornandi.

Sed ea ætate incredibili agitatione vicinæ gentes trepidare cœperunt. In Italia Petrarca non solum latinorum auctorum libros sedulo colligebat, sed et maxime laborabat, ut per totam Europam præclara opera seu soluta oratione seu versibus scripta vulgarentur. In Gallia eadem admiratione accensi fuerunt animi; Tullium et Maronem, quos Petrarca « romanæ facundiæ parentes » appellaverat, effusius proavi nostri exceperunt.

Non tam subito in Germania latini scriptores gentis studia incenderunt. Immo primos eruditos homines qui Ciceronem et Virgilium in Universitatum auditoriis laudibus extulerunt benigne accipi rarissimum fuit. Unum ex iis, Arminium Buscum (Hermann Busch), non semel e Colonia et e Lipsiis

[1] Cholevius, I, p. 214.

depulsum esse fertur [1]. Reuchlinium nova molientem veteris disciplinæ propugnatores vehementissime aggrediebantur.

Mox tamen elegantiores artes scholasticorum doctorum pertinaciam superaverunt, auxiliantibus celeberrimis *Epistolis obscurorum virorum* quas Crotus Rubianus et Udalricus Huttenius latine in vulgus emittebant. Tunc renovata in Universitatibus studiorum ratio; tunc Virgilius, tunc Ovidius, Livius, Sallustius, Seneca, ante omnes autem Cicero in summo honore steterunt. Tunc germanicis poetis latinos æmulari placuit; Conradus Celtes *Amorum* libros describebat; Micyllus, Sabinus, Stigelius, Lotichiusque Secundus Virgilii, Ovidii et Tibulli vestigia sequebantur. Tunc Johannes Sleidanus in Cæsaris modum Germaniæ historiam tractabat. Ciceronis stylum imitando reddere quamplurimi studebant; Ciceronis auspiciis ad non parvam latine scribendi facultatem pervenerunt. Latinum sermonem usurpaverunt magistri qui in Universitatibus docebant, prævaluitque consuetudo usque ad septimum decimum sæculum, donec Thomasius germanice loquendi, non sine audacia, exemplum daret.

His de causis post sextum decimum sæculum latinis scriptis adeo imbutæ erant multorum hominum mentes, ut etiam in sermonem germanice loquentium latina verba se insinuarent, et omnino orationi aliquid extraneum et quæsitum hærere videretur. Tunc, ut ita dicam, duo germanice

[1] Cholevius, I, p. 220.

loquendi genera exstiterunt; eruditorum hominum lingua ab incultæ turbæ lingua vehementissime discrepuit. Illa multis peregrinis, ac præsertim latinis ornamentis illustrata, latinis vocabulis referta erat; hæc, simplex et naturalis, non adventiciis floribus, sed propria virtute, commendabatur. In illa pleraque peregrina vocabula sincera aut quam levissime mutata servabantur; in hac latina verba, si forte evenit ut aliqua exciperet, quasi subversa et contrita, originis suæ signum amittebant.

Non foret commemorationis finis, si illius linguæ quæ in eruditorum virorum usu est latina elementa indicare vellem. Tantummodo dicendum mihi videtur a doctis hominibus multa latina vocabula idcirco adhiberi, ut res abstrusas et reconditas, ad philosophiam, theologiam et ad jus pertinentes, enuntiare queant. Magis familiaria et etiam vulgo non obscura, etsi parum ab extranea forma discesserunt, ea sunt quæ apud scholarum et Universitatum alumnos audias. Non multos Germanos invenire est, etiam inter ineruditos, quos prætereat quid *Commers, Convent, Commilitonen, Fiducit, Colleg* significent. Ad quotidianum usum accommodata sunt *Student, Scolar, Professor, Doctor, Universitæt, Pedell.*

In Dictionarii sui præfatione Jacobus Grimm memorat multos medicos olim in peregrinis operibus germanice transferendis, alios in conficiendis lexicis animum occupasse; doletque quod non pluribus patrius sermo curæ est, sed plerique, lati-

norum et græcorum nominum assueti, jam nullam in amplificanda lingua operam impendunt. Pauca profecto vocabula ad scientiam suam pertinentia medici in vulgus emiserunt; vix vocibus *Muskël, Nerv, Kur* (curare) communis plebs utitur.

Comicorum poetarum stylus nonnunquam latinis verbis variatur, quæ, plus minus apte in germanica inversa, auditores exhilarant. Inter quæ vocabulum *Mores* indicabo, cui aliquando latini verbi significatio relinquitur, ut in illa sententia, quam apud Lessingium legimus : « So guten Danziger zu haben, und so schlechte Mores », quod sæpius tamen tanquam timor, ignavia, est interpretandum.[1]

Lyrici poetæ cum de deo Amore loquuntur, latinam appellationem retinere solent. Hoc inviti facere coacti sunt, quia germanicum *Liebe* femininum est, et Amori viriles partes sunt agendæ.

Denique addam ab eruditis hominibus sæpe latina vocabula, sincera aut vix mutata, rursus adhiberi, quanquam eadem vocabula jam antiquitus in lingua, amissa extranea figura, apparuerunt. Formis quæ in vulgarem sermonem transierant alias anteposuere, quas accurate ad latinarum exemplar sunt imitati. Sic easdem voces iterum in germanica lingua reperimus, nunc in popularem speciem, nunc in doctam figuratas. Hunc ejusdem verbi duplicem habitum præbent *Kerker* et *Carcer, Küster* et *Custos, dichten* et *dictiren, launig* et

[1] *Minna von Barnhelm*, I, 2.

lunatisch, Meister et *Magister, Meier* et *Major, Marmel* et *Marmor, impfen* et *amputiren, Rettich* et *Radieschen, trachten* et *tractiren, Vogt* et *Advocat.* In gallica lingua res se simili modo habet, cum verborum iterationes non desint, quæ vulgo *doublets* appellantur, et quarum in *moustier monastère, frêle fragile, métier ministère, blâme* et *blasphème* exempla sese nobis objiciunt.

Vulgi lingua magis tanto peregrinitatis vitio caruit. Quæ nihilominus in ea virtus esset optime Lutherius demonstravit, qui, nullis auxiliantibus latini sermonis ornamentis, libros sacros germanice reddidit, adeo ut etiam res a vulgo remotas circumforanea quadam et hausta e triviis forma indueret. E perpaucis vocabulis, quæ e latinis orta in hoc plebis sermone audimus, plura plantas aut fructus designant. Hujuscemodi sunt: *Boretsch* (boragus), *Ginst* (genista), *Günsel* (consolida), *Osterluzei* (aristolochia), *Rapunzel* (rapunculus), *Apfelsine* (malum sinicum), *Pomeranze* (pomum Aurantiæ). Inter animantium nomina se nobis *Auster* (ostreum) præstat. Si e reliquis *Bursche* (a *bursa* derivatum), *Juks* (jocus), *Staat* (status), *verpœnen* (a *pœna* derivatum) indicavero, non multa inter notabiliora præteriisse arbitrabor.

Si quis forsitan germanici sermonis, qualis hodie viget, adventiciam partem penitus explorare cupiat, non desunt lexica, quæ, cum nulla nisi externa sermoni immixta vocabula referant, nimis ampla ponderosaque inveniet.

PARS ALTERA

QUEMADMODUM LATINA VOCABULA COMMUTATA SINT

« Si forte, ait Jacobus Grimm, externum vocabulum in quamdam linguam quasi in puteum cadit, tamdiu in ea agitatur, donec ejus colorem accipiat, et, quanquam peregrinum est, vernaculum esse videatur[1]. »

Sunt varia mutationum genera per quas latinum vocabulum in germanicam speciem redigitur. Nunc consonantes, nunc vocales mobiles; accentus a loco discedit; a primigeniis verbis nova existunt; non semel ipsa significatio vertitur. Quæ singula ex ordine excutere oportet.

[1] Grimm, *Deutsches Wœrterbuch*, p. XXVI.

CAPUT PRIMUM.

DE CONSONANTIBUS.

Consonantes quasi vocabuli trabes sunt ac firmamenta. Ab iis potissime vocabulum figuram suam obtinet; iis mutatis, funditus commovetur. Ab iis igitur principium sit.

Gravissima consonantium immutatio illa est quam in septimo sæculo exactam Jacobus Grimm primus deprehendit et *Lautverschiebung,* id est consonantium substitutionem, ut nomen apud gallicos grammaticos usitatum usurpem, appellavit. Priorem substitutionem jam antea fuisse compertum est, sub illud ægre indicandum tempus, quo vetus lingua, nondum in gothicam, scandinavam et germanicam divisa sese ab indo-europæa familia sejunxit. Tunc evenerat ut consonantes tenues (p, t, c), quas adhuc in græca et in latina lingua reperimus, in aspiratas (f, th, h), aspiratæ in medias (b, d, g), mediæ autem in tenues verterentur. Eamdem legem consonantes secutæ sunt in septimo sæculo, cum a communi germanica lingua illa discessit, quæ *hochdeutsch* nuncupatur. Dum linguæ, quibus *niederdeutsch* nomen est, veteres consonantes servabant, in lingua *hoch-*

deutsch rursus tenues in aspiratas, aspiratæ in medias, mediæ in tenues inflexæ fuerunt.

Hæc secunda consonantium substitutio indicio est num latina vocabula ante septimum sæculum in Germaniam penetraverint, id est ante tempus ex quo scripta monumenta habemus.

Attamen animadvertendum est linguam quæ *althochdeutsch* dicitur non in omnibus Germaniæ provinciis unius et ejusdem figuræ fuisse, sed in plures dialectos divisam esse, qui sæpissime formas haud secundum regulam factas nobis præbent. Dialectus in quo consonantes adstrictius regulam sequuntur ille est qui in Alamanorum provincia pollebat, et idcirco merum *althochdeutsch, strengalthochdeutsch* appellatur. Immo in hac Alamanorum lingua nonnumquam consonantes legem perrumpunt, et satis libidinose aliæ in aliarum loco reponuntur. Ne igitur substitutionem ut imperiosum et inviolatum aliquid habeamus, sed tantummodo ut formulam crebriores mutationes breviter contrahentem.

Inde fit ut, cum latinas consonantes in germanicis linguæ *althochdeutsch* verbis servatas reperimus, non semper dicere fas sit ea verba non ante septimum sæculum assumpta fuisse; contra autem, cum mutatæ sunt, antiquiorem esse originem licet suspicari.

Primum quomodo consonantes labris pronuntiandæ inflexæ sint exploremus. Tenuis littera P in initio verborum posita, regulæ convenienter, in PH, ut PF dicendum, invertitur. Sic *planta*

phlanza, pluma phluma, pondus phunt, pulvinar phuliwi, pistor phistor, pilum phil fieri potuit. Pro P in mediis verbis inter duas vocales posita se aspirata F, seu simplex, seu geminata, supponit, ut videmus in *caupo choufon, propago phroffo, piper pheffar.*

Aspiratam F in mediam B lex mitigari juberet. Nullum exemplum omnino peractæ mutationis se nobis objicit. Aspirata tamen, quam in *cerefolium* et *fenestra* invenimus, lenior facta est, cum voces *chervola* et *venstar* eam in V, litteram scilicet quæ inter F et B, utriusque naturæ particeps, locum occupat, fractam ostendant.

Media B, præter legem, naturam suam non exuit. Itaque *cucurbita* in *churbiz, boletus* in *buliz, bicarium* in *behhari,* incolumi media, transeunt.

Littera V autem, quæ, ut dixi, inter aspiratam et mediam, utriusque naturæ particeps, fluctuat, in litteram W a latinis gentibus ignotam invertitur. Exempla præbent *vinum wîn, vivarium wiwari, pavo phawo, pulvinar phuliwi.*

Si nunc animum ad litteras gutture proferendas intendimus, tenuis C in aspiratam CH aut H rite mutari debet. Revera plerumque e C in initio verborum aut post consonantes posita litteras CH, in mediis autem verbis, post vocales et ante litteras S et T, simplicem aut geminatam H nasci videmus, ut in urbium nominibus *Colonia Cholonna, Confluentes Chobilinza, Constantia Chostanza,* et in his aliis : *calcem chalch, cellarium chellari, cicer chihhira, cista chista, fructus fruht, cucina chuhhina, calicem*

chelich, draco trahho. Ex lege tamen C discurrit, cum *spiagal* e *speculum* oritur, nisi forte vulgaris quædam forma *spegulum* fuerit.

Nullam se nobis vocabulum objecit, aspiratam CH complectens, quod germanica lingua ante septimum sæculum accepisset. Non igitur de ea loquendi hic locus est.

Media G, ut labris pronuntianda B, naturam suam servavit. Ita, cum *Augusta Vindelicorum* in *Agustoburc, tegula* in *ziagal* mutaretur, G non a loco discessit. Si e *Turegum* nomen *Zurih* exiens videmus, formam quamdam *Turecum* fuisse conjiciendum est, cujus tenuis C aspiratam H pepererit.

Consonantes quæ auxiliantibus dentibus pronuntiantur accurate legi obtemperant. Tenuis T rite in Z, quæ littera pro aspirata habenda est, invertitur. Quapropter *Zabern* e *Tabernæ, Zurih* e *Turegum, Zulpih* e *Tolbiacum, straza* e *strata, scuzzila* e *scutella, phlanza* e *planta* nasci intelligemus.

Quanquam in latinis vocabulis litteras TH ad græcæ θ similitudinem adhibitas videmus, non tamen eas tanquam aspiratam, sed ut tenuem T pronuntiatas fuisse affirmare licet. Cum igitur in germanica vocabula transgrederentur, non in tenuem T, sed ut ipsa tenuis, in aspiratam Z indurescebant. Ita contigit ut e *theca ziahha*, e *mentha minza* fierent.

Media D, ut regula postulat, in tenuem T transit. Idcirco urbium nomina quibus latine *dunum*

exitus est germanice in *tuna* aut *tana* desiverunt; idcirco e *Lugdunum Liutana* exstitit; idcirco *cardus, draco, discus, radix* ut *charta, trahho, tisc, ratih* sonuerunt.

Notandum est consonantes nunquam mutari, si consonantem S sequuntur. Hac,utita dicam, fultæ, ægre labefiunt et novæ loquendi rationis vim a se arcent. Ideo T quam vocabula *postis, christa* habent in ahd. *pfosto, christa* durat; ideo *spicarium* in *spihhari, speculum* in *spiagal*, incolumi P, transeunt. Simili modo litteram T ante R positam in *tribuz* superantem adspicimus, cum *zribuz* difficillime foret pronuntiandum.

Illæ sunt in septimo sæculo consonantium immutationes. Illa sunt signa quæ nos eo inducunt ut latina vocabula a me in primo capite superioris partis exprompta jam germanico sermoni immixta fuisse conjiciamus, antequam prima quæ supersunt germanica opera describerentur.

Consonantes latinorum vocabulorum, quæ lingua, dum forma *althochdeutsch* vigebat, assumpsit, non adeo funditus, nonnunquam tamen haud parum a pristina figura desciverunt.

Labris proferenda P jam non in PF aut F transgreditur, sed plerumque vim tenuis litteræ servat, aliquando etiam in mediam B debilitatur. Utriusque generis exemplum vox *probost* e latina *propositus* orta exhibet. *Babes* e *papa* dicitur, contra vero *piligrim* e *peregrinus*. Aspiratæ F et mediæ B nulla est adulteratio.

Anceps autem littera V aliud iter intendere cœpit

quam in superiore ævi spatio. Dum septimo sæculo in W flecti solebat, post id tempus V remanet, sed, ut germanice, F enuntiatur, aut omnino ejus loco aspirata F scribitur. Dum *cavea chevia, versus vers, vespera vespera* pariunt, *brevis* in *briaf, paraveredus* in *parafrit, advocatus* in *fogat* degenerant.

Non parvi momenti est gutture proferendæ C deformatio. In consonante ab ea diversis temporibus orta aliquando indicium habemus quo plus minus longam vocabulorum ætatem agnoscere licet. C in septimo sæculo plerumque CH et H fieri exposui. Postea vero ex ea, quoties vocales E et I sequebantur, littera Z evasit. Dum olim e *calicem chelich* ortum erat, nunc e *decima, census, crucem, circus, cancelli, mercem,* germanica *dezemo, zins, chrûzi, zirc, kanzella, merz* emanaverunt. C ante vocales A, O, U seu remanet, seu veterem consuetudinem secuta in aspiratam CH, ante litteras S et T in aspiratam H inclinat, ut *castigare chastigon, cupressus cupresboum, buxus* (scilicet ut *bucsus* dictum) *buhs, pyxis puhsa, dictare tihton, tractare trahton, tunica tunihha* testimonio sunt. *Vocatus fogat, carmen garminon, sacrista sigiristo, prædicare predigon* tenuem C etiam in G leniri potuisse demonstrant.

Cum e *monachus* germanicum *munih* exierit, exquirere aliquis queat utrum latinæ litteræ CH ut aspirata enuntiarentur et isto modo germanica H nihil novi esset, an tenuis C vim habuissent et ideo, in aspiratam conversæ, substitutionis normæ

essent obsecutæ. Cum aspiratam in græco μοναχὸς reperiamus, in priorem sententiam ire equidem malim.

Media G, ut e *gurgulio gurgula, castigare chastigon, regula regula* patet, non a loco abiit.

T etiam incolumis evadit, ut *abbatia abbateia, templum tempal, phlebotomum fliotuma,* et multa alia vocabula testantur. Si nihilominus *creta* in *krida* et *seta* in *sida,* debilitata tenui, mutata invenimus, rarissima istiusmodi exempla, obscuris de causis, a consuetudine abhorrent. Nemini mirum videbitur, cum in latinorum vocabulorum exitibus *tia* et *tio* tenuis T sibilantis S vicibus fungatur, eamdem in iis vocabulis germanice accommodatis litteram Z fieri, ut in *militia miliza; lectio lecza* apparet.

Media D modo sibi constat, modo in tenuem T invalescit. Exempla præstant nunc *prædicare predigen, damnare (fir-)damnon, ordo ordina,* nunc *dictare tihton, domus tuom, zeduarium citawar, leopardus leoparto.*

Vocabula quæ ex utroque ævi spatio retuli, ex illo quod ante septimum sæculum extenditur, et ex altero quo lingua *althochdeutsch* erat, demonstrant non omnes consonantium immutationes in hoc atque in illo dissimiles fuisse. Substitutionis vestigia in posteriore deprehendere existimes, cum, secundum rationem a Jacobo Grimm illustratam, nonnunquam e tenuibus aspiratæ et e mediis tenues fiant. Cujus rei causa ex eo eruenda est quod tam gravis linguæ conversio non intra paucos

annos peragi potuit, verum necessario in longius ducta est. Non subito quilibet loquendi usus aboletur, sed paullatim lingua aut corrumpitur aut coalescit. Non omnes consonantes simul, uno et eodem tempore, aliæ aliarum locum occupaverunt; in his autem vocabulis variaverunt, dum in illis durabant. Hæ fortius, illæ mollius resistebant. Ita fit ut inter vetustiorem et recentiorem ætatem incertus sit limen, ut in lingua *althochdeutsch* modo tenuis, secundum priscam legem, aspiratæ locum cedat, modo eadem integra superet. Immo in iisdem vocabulis minime congruentes formæ simul apparent, cum hic consonans legem secuta, illic non secuta sit. Sic in nomine *pech* e *picem* orto litteram P, ut in *althochdeutsch* decet, sospitem, e littera C autem, ut in superiore ævi spatio res se habebat, aspiratam CH ortam miramur. Non igitur, sola grammatice auxiliante, tempus agnoscere semper dabitur quo latinum vocabulum in Germaniam ingressum sit; at non semel ad historiæ opem confugere oportebit, quæ, cum novas res certis temporibus ad Germanos a Roma invectas esse doceat, nobis opinandi facultatem concedet iisdem quoque temporibus latina nomina cum novis moribus fuisse importata.

Tempore quo lingua a forma *althochdeutsch* in formam *mittelhochdeutsch* transgressa est, pravissima loquendi consuetudo grassari cœpit, qua consonantium vis in incerto erat, cum sæpissime tenues in mediarum loco promiscue adhiberentur. Hoc præsertim vitium serpsit, nempe B et P mi-

nime jam dissonas esse. Ideo indifferenter *aprele* et *aberelle, paradis* et *baradis, abbet* et *apt, pilgrîn* et *bilegrîn, porte* et *borte* scripta legimus. Haud secus aliquando media D tenuis T vices usurpat, ut e *situla sîdel, theriacum triakel,* etiam *driakel* scripto, patet.

Littera K, quæ jam aliquando in lingua *althochdeutsch* in latinæ C loco ponebatur, nunc ubicumque huic consonanti ante vocales A, O, U et ante alias consonantes positæ succedit, ut *corona,* ahd. *corona,* mhd. *krone, capitulum,* ahd. *capitul,* mhd. *kapitel, capellanus,* mhd. *kappellan, rubrica,* mhd. *rubrike, clausarius,* mhd. *klosenære* exempla perhibent. Cum latina C vocales E et I anteit, ut jam in lingua *althochdeutsch* moris erat, in *mittelhochdeutsch* etiam littera Z ex ea oritur; testimonio sunt : *novicius novize, lucerna luzerne.* Idem fit, quotiescumque littera C sibilanti S adjuncta easdem E et I prægreditur; ideo *zepter* a *sceptrum, zedele* a *scedula* habemus. Sin autem litteras SC vocales A, O, U aut consonantes sequuntur, ex iis forma SCH, cui vis gallici CH est, evadit; inde *scola,* ahd. *scuola,* mhd. *schuole; scribere,* ahd. *scriban,* mhd. *schrîben; scamellum,* ahd. *scamal,* mhd. *schamel.*

Aspiratæ F loco plerumque dubiam V ponere placuit, adeo ut *vieber, vliete, venster* scriberentur.

In recentioribus temporibus, postquam lingua formam *neuhochdeutsch* induerat, eruditis hominibus, qui animum latinorum scriptorum studiis

imbuerant, curæ fuit, ut germanica vocabula, e latinis orta, sed a plebe corrupta, antiquam figuram, quantum res sineret, recuperarent. Consonantes igitur, quas diuturnus usus deformaverat, in veterem speciem fuerunt restitutæ. Ubicumque lingua *mittelhochdeutsch* vel etiam lingua *althochdeutsch* mediam B in tenuis P loco posuerat, latina consonans rursus apparuit, nec jam *babes* et *babest, probost* et *probest, bilegrim, aberelle* scribere moris fuit, verum *Papst, Propst, Pilgrim, April.* Fugata V, aspirata F in sedes suas revocata est, et redierunt formæ *Fenster, Fieber, Fliete.* Antiquam mediam D, quæ, mutato vocabulo *domus,* in germanico *tuom* et *tum* vim tenuis acceperat, recentius *Dom* ex integro protulit.

Quod ad gutture emissam C attinet quæ olim ante vocales E et I in litteram Z inverterat, indifferenter aut instaurata est, aut formam Z retinuit. Hodie *Centner* et *Zentner, Ceder* et *Zeder, Cirkel* et *Zirkel, Cither* et *Zither* æque scribuntur. Ante vocales A, O, U et ante consonantes in figuram K inversam litteram C alii redintegrandam esse censent, alii negant, adeo ut apud hos *Kaplan, Kolleg, Kalender, Korall,* apud illos *Caplan, Colleg, Calender, Corall* invenias. Sunt quædam tamen vocabula in quibus latinam litteram C aliquid offensionis haberet; nemo erit cui *Cœrper* et *Canzel* potius quam *Kœrper* et *Kanzel* scribere in mentem veniat.

Alias porro consonantium mutationes deprehendere est quæ variis temporibus, nec jam uni aut

alteri ætati propriæ, exstiterunt. Inter præcipuas referenda est litteræ R in L inversio. Cujus rei nobis *pruna Pflaume*, *peregrinus Pilgrim*, *marmor Marmel*, *morus Maulbeere*, *murmurare*, jam ahd. *murmuron* et *murmulon*, nhd. *murmeln* exempla præbent.

Littera L non semel in litteræ N loco supposita est, testibus *lagena Legel*, *organa Orgel*, et *cuminus*, jam ahd. *chumin* et *chumil*, mhd. *kumin* et *kumel*, nhd. *Kümmel*.

N etiam in M aliquando transiit; e *peregrinus Pilgrim*, e *pruna Pflaume* habemus.

Rhotacismi, id est litteræ S in liquidam R transfiguratæ, sese mihi nusquam exemplum ostendit. Aliquis tamen mihi vocabulum *custos* fortasse objiciet, ex quo ahd. *kustor* originem ducere videtur. Sed optimo jure Kluge existimat germanicum vocabulum non a forma *custos* apud bonos scriptores usitata natum esse, verum a quadam corrupta *custor*, quam Cangius refert, et unde etiam vetus gallica vox *coutre* defluxit.

Denique non prætermittendæ sunt consonantes, quæ, sospites aut immutatæ, sed inverso ordine in germanicis vocabulis apparent. Hujuscemodi perturbatione *vespa*, ahd. *vefsa*, *thesaurus*, ahd. *threso*, *acetum*, ex quo in *atecum* translato *ezzih* exiit, afficiuntur. Immo littera R, quam *crocodilus* in prima syllaba habet, *cocatrille* in penultimam ostendit peregrinatam.

CAPUT II.

DE VOCALIBUS.

Vocalium magis fluxa et instabilis est natura quam consonantium. Adeo facile aliæ aliarum locum usurpant, ut in variis ejusdem germanici verbi formis nonnunquam omnes vocales alternis vicibus arcessitas animadvertamus ; cujus rei verbum *werfen* (jacere) argumento est, ex quo, salvis consonantibus, diversæ formæ *warf, werfe, wirf, geworfen, Wurf, Würfel,* oriuntur. Quæ cum ita sint, nemini mirum videbitur vocales, sæpius etiam quam consonantes, variari, quoties latina vox in germanicam invertit. In tanta mutationum diversitate nonnullas tamen, non dicam leges, verum consuetudines deprehendas, quas indagare operæ pretium est.

Latina vocalis A in lingua *althochdeutsch* sæpissime servatur, ut innumera exempla demonstrant. Aliquando in I transit, testibus *monachus munih, sacrista sigristo.*

Frequentissima est vocalis A in E aut Æ inversio. Ita res se jam in lingua *althochdeutsch* ha-

bere cœpit, in lingua *mittelhochdeutsch* universi moris fuit, quotiescumque syllabam, quæ vocalem A continet et accentu ingravescit, syllaba vocalem I complexa sequitur. Hanc mutationem, cujus posterior I causa est, grammatici *Umlaut* appellant, quæ vox gallica voce *inflexion* reddi solet.

In lingua *althochdeutsch* per inflexionem *archiepiscopus erzibiscof, mansionarius mesinari, castigare chestigon, pagina peine, magister meistro, caminata keminata, margila mergil, baccinum becchin* fiunt. Sed in multis vocabulis A, etsi syllaba accentum habet, incolumis superat, ut in *martyr martirari, matutina mattina, anisum anis,* et in omnibus quibus exitus *ari* est, nempe in *cancellarius kanzellari, notarius notari, molinarius mulinari,* etc.

In his omnibus vocabulis, quæ litteram A, quamvis I sequeretur, puram servaverant, lingua *mittelhochdeutsch* eamdem in E aut Æ corrupit, ita ut *merterer, mettene, enis, kanzellære, notære, mulnære* diceretur. Cum in *mittelhochdeutsch* formam *kemel* (camelus) inveniamus, suspicari oportet antea vocabulum fuisse quod *kamil* sonuerit.

Exemplum in vocabulo *mittelhochdeutsch* non immutatæ A, etsi I sequitur, *paradis* præbet. Quod ex eo intelligi debet quod non in syllaba *ra,* sed in syllaba *dis* vox loquentis insistit.

In recentiore linguæ specie plerumque sonus remanet, quem linguæ *althochdeutsch* et *mittelhochdeutsch* in inflexæ vocalis A loco emiserant. Immo forma Æ quam in exitibus *ære* invenimus

magis etiam debilitata in prope mutæ E imbecillitatem degeneravit. Nonnunquam tamen eruditorum hominum studia id effecerunt, ut corrupta vocalis in pristinam sinceritatem restitueretur; dum in lingua *mittelhochdeutsch kestigen*, *kestene* dicebatur, hodie formæ *kasteien* et *Kastanie* instauratæ sunt. Hæc etiam consuetudo invaluit, figuram Æ adhiberi, ubi *mittelhochdeutsch* E scriptam videmus, ut saltem eo pacto hodiernæ litteræ et antiquæ affinitas illustraretur, cum antiquam omnino redintegrare longus usus vetat. Ita, dum ahd. *chevia* et mhd. *kevje* (cavea), mhd. *lerche* (larix) scribebantur, hodie *Kæfig* et *Lærche* scripta legimus.

Latina vocalis E multis modis variavit. Cum brevis erat aut accentum non habebat, ex ea brevis I oriebatur: *secula sihhila Sichel, securus sihhur sicher, mentha minza, persicus Pfirsich, ceresia chirsa Kirsche* exempla præbent.

Alias in *althochdeutsch* formam IE aut IA accipit, unde *mittelhochdeutsch* et *neuhochdeutsch* IE oritur. Hoc testantur *brevis briaf brief, presbyter priestar, tegula ziagal Ziegel, speculum spiagal Spiegel, febris fiebar Fieber, beta bieza* (*neuhochdeutsch* rursus latinæ formæ assimulatum *Beete*), *theca ziahha Zieche.*

Alias demum, cum longa est, linguæ *althochdeutsch* et *mittelhochdeutsch* longam I in ejus loco ponunt, et ex ea longa I *neuhochdeutsch* EI exit. Inde *feriæ fira vîre Feier, creta krîda krîda Kreide, spensa spîsa spîse Speise, seta sîda sîde Seide*. Eamdem consuetudinem longa Œ sequitur, ut e *pœna*

pîne Pein, cœpulla zipolla patet. Hujus tamen ultimi vocabuli recentior forma, contra consuetudinem *Zwiebel,* non *Zweibel,* est.

Latina Æ, ut in nomine *Cæsar,* primum germanicam diphthongum EI, tunc AI peperit : *cheisar, Kaiser*. E nomine Græcorum contra primum *Chriach,* tunc *Grieche* exstitit.

Non semel etiam E in A mutatur, quod præsertim in quibusdam verborum exitibus, nempe in *presbyter priestar, scamellum scamal* spectari potest. Postea rursus fractus est sonus, et in *mittelhochdeutsch* atque *neuhochdeutsch* formæ *Priester, schamel, Schemel* prævaluerunt. In intimis vocabulis, ut in *mercatus Markt,* insolentius hæc inversio peragitur.

Vocalis I sæpissime sibi constat. Alias, si brevis est, in brevem E, si longa, in *althochdeutsch* et *mittelhochdeutsch* eadem manet, in *neuhochdeutsch* autem in EI extenditur. Illud nobis in *picem peh pech, piper pfeffar Pfeffer, sinapi senaf Senf, missa Messe* occurrit, hoc in *scrinium scrini Schrein, pipa pfifa pfife Pfeife, pilum pfil Pfeil, vinum win Wein*. Postquam e *paradisus* ahd. et mhd. *paradis* orta erant, vocabulum in *neuhochdeutsch* primum *paradeis,* ut mos jubebat, sonuit; postea eruditorum hominum auctoritate forma *Paradis,* latinæ similior, revocata est.

Vocalis O sæpissime, haud secus atque I, stetit. Cum mutatur, plerumque U in ejus locum incedit. Sic e *monachus, moneta, monasterium, morus, boletus, pondus* formæ *munih, muniza, munistri,*

mur(-peri), buliz, phunt ortæ sunt. Vocalis O in UO adulteratæ nomina *domus* ahd. et mhd. *tuom, scola scuola schuole, copa chuofa kuofe* exempla præstant. Hodie simplicius *Schule,* K*ufe* dicitur. In octavo decimo sæculo forma *Thum* adhuc vigebat, antequam veteri similior *Dom* rediret.

Quemadmodum vocalis A, ita etiam vocalis O naturam syllabæ cui I inest proximitas turbat. Ut A in Æ aut E, ita O in Œ inflectitur. Ex eo quod formas ahd. *oli* (oleum), *Cholina* juxta *Cholonna* reperire est, sequitur ut formas mhd. *œle, Kœlne,* nhd. *Œl, Kœln* habeamus.

E vocali U, si quando mutatur, plerumque O nascitur, quod in *cœpulla zipolla, recuperare choparon, mustum most, puleium polei* adspicimus.

U etiam a sequentis I auctoritate pendet, et propter hanc in UE, non jam ut gallicam diphthongum OU, sed ut simplicem litteram U enuntiandum inflectitur. Hodie *Schüssel, Pfühl, Kümmel* dicitur, quia e latinis *scutella, pulvinar, cuminum* formæ ahd. *scuzzila, phuliwi, chumin,* exierant. Idem in vocabulo *cussinus,* ahd. *chussin,* mhd. *küssen* animadvertitur, quod, cum UE et I prope consonent, hodie libentius K*issen* scribitur, ne qua obscuritas e nominis *Küssen* et verbi *küssen* (osculari) similitudine fieri queat.

U quæ exitibus *ulus, ula, ulum* inest in lingua *althochdeutsch* plerumque vocalis A sonum accepit. Ideo e *tegula, speculum, tabula* formæ *ziagal, spiagal, zabal* exstiterant.

Longa U, quæ olim in germanicis verbis veterem

sonum servaverat, nostris temporibus in diphthongum AU porrecta est, dicimusque *Flaum, Pflaume, Laune, Mauer, Maulthier,* quæ vocabula mhd., non longe latinorum dissimilia, *phlûme, pflûme, lûne, mûr, mûlthier* scribebantur. Inde etiam intelligemus cur latina vox *lora* hodie *Lauer* sonet, cum ahd. forma *lûra* et mhd. *lûre* fuerit.

CAPUT III.

DE ACCENTU.

Si mihi venia porro dabitur, quam supra jam sumpsi, ad similitudines confugiendi, quemadmodum consonantes vocabulorum trabes appellavi, ita nunc vocabula colorem suum a vocalibus accipere, accentum autem linguæ quasi animam esse dicam. Ad accentum non intempestive conferri posse mihi videtur præclarus versus quem Virgilius pepigit :

> Mens agitat molem et toto se corpore miscet,

sicut et illa haud secus nota verba :

> Spiritus intus alit.

Germanicus accentus, absit verbo invidia, vita nova fuit qua latina vocabula velut revirescentia ad nos, mutato vultu, devenerunt. Accentus ea ex antiquis juvenilia, e peregrinis domestica, e singularibus familiaria effecit.

In primis accentus vi factum est ut multæ syllabæ, quæ in latinis vocabulis breves fuerant, germanice in longas porrigerentur. Argumento sunt *Chŏrus*, mhd. Kōr, *tonus Tōn*, *crŭcem*, ahd. *chrūzi*, *lўra līra Leier*, *lĭlia Līlie*, *viola fīol viel Veilchen*.

Alias contingit ut, si in latinis vocabulis syllaba quædam brevis aut accentus inops et altera longa aut accentu gravis fuerint, inverso ordine, in germanicis illa accentu corroborata plus ponderis quam posterior habeat. Quæ mutatio nobis apparet in *Judæus* **Ju***deo, sacrista* **si***gristo, scutella* **scu***zzila, mercatus* **mar***chat, lagena* **la***gella, Colonia* **Cho***lonna, abbatis* **ab***bat.*

Ex his exemplis patet Germanorum vocem sæpe in prima verborum syllaba libentius institisse. Inde factum est ut etiam in vocabulis, quibus particula præposita erat, hæc ceteris syllabis præstaret, et vocabulum ipsum non semel in nescio quam debilem et incertam formam obscuraretur. In particulis *ob* et *præ*, quæ verba *offerre* et *prædicare* anteunt vox præsertim incubuit, exstiteruntque **op***fern* et **pre***digen.*

Multum tamen abest quin primam syllabam Germani semper retinuerint, immo auxerint. Non minus sæpe in secunda syllaba vocis contentio fuit, cum res se jam apud Romanos ita habuisset, et tunc in germanico vocabulo prima omnino excidit. Plurima exempla nobis occurrunt in *cucurbita churbiz, apostolus postul, hospitale spitel, asparagus spargel, examitum samat, æstivale stival, Hispania Spanien.*

Peropportune, cum de his pessumdatis syllabis loqueretur, memoravit Wackernagel[1] apud populum moris esse cognomina simili modo muti-

[1] *Die Umdeutschung fremder Wœrter*, p. 32.

lare, multaque refert ex quibus frequentiora indicabo, nempe *Johannes Hans*, *Josephus Sepp*, *Antonius Toni*, *Nicolaus Claus*, *Sebastianus Bastian*, *Christophorus Stoffel*, *Margarita Grete*, *Carolina Lina*.

Aliquando non tota syllaba, sed vocalis tantum aboletur, quod in *corona*, mhd. *krone* adspicimus.

In mediis verbis nonnunquam syllaba exolevit, seu omnino omissa, seu cum vicina contracta. Exemplum ipsa vox *syllaba* offert, quæ in nhd. *Silbe* concrevit. Alia exempla sunt *camamilla Kamille*, *matutina mattina Mette*, *archiater* (in dialectibus *ercetere*, *ersater*), ahd. *arzat*, nhd. *Arzt*, *monasterium Münster*, *calcatura calcture Kelter*, *cerefolium Kerbel*, *Augustus*, mhd. *ougest* et *ouste*, gallico *Août* simile.

Denique postremæ vocabulorum syllabæ, procedente tempore, omnes debilitatæ sunt. Dum in lingua *althochdeutsch* plerumque adhuc sonant, in *mittelhochdeutsch* extenuantur, et in *neuhochdeutsch* multæ plane evanescunt. Plura jam supra sese nobis exempla objecerunt, quam ut alia addi res postulet.

Accentus auctorite explicandum est cur nonnullæ consonantes e latinis vocabulis germanice redditis exciderint, seu in ea irrepserint. Ex his litteras M in *sabbatum* et N in *dormitorium*, velut ad syllabas *sab* et *mi*, in quibus vox moratur, corroborandas, deprehendimus, ita ut formæ ahd. *sambaz-tac*, nhd. *Samstag*, mhd. *dormindre*, nhd. *Dormenter* orirentur. Sæpius evenit ut consonan-

tes, inter duas vocales positæ, oblitescerent. Sic litteram G vocabula *magister* et *pagina* amiserunt, cum in ahd. *meistro* et *peine* inverterentur. Sic e *maledicere* et *benedicere*, facta litteræ C jactura, *maledîen* et *benedîen* nata sunt. Haud alia fuit in Gallia loquendi ratio ; multa enim verba apud nos, ut *maître, frêle,* etc., consonantem vulgo *médiane* appellatam perdiderunt.

In recentioribus temporibus, cum, vulgato latinæ linguæ studio, veteres vocabulorum formæ in memoriam revocarentur, prævaluit iterum consuetudo accentu syllabam quæ eum quondam habuerat extollendi. Nec tantummodo in vocabulis nuper importatis latinus enuntiandi modus mansit, sed sæpe in antiquioribus quæ popularis accentus deformaverat latina disciplina rursus increbruit. Dum olim **Al***ter*, **Kes***tene*, **Ka***ppel*, **Kes***tigen*, **Kris***tal*, **Chos***tanza* dicebatur, hodie *Al***tar** *Kas***ta**-*nie*, *Ka***pel***le*, *kas***tei***en*, *Krys***tall**, *Kons***tanz** dici lex postulat. Dum *hospitale* in mhd. *spitel* accentus vi deminutum fuerat, hodie rursus *Spital* vel etiam *Hospital* enuntiatur. Postremarum syllabarum honos ex integro vigere cœpit. Sic factum est ut quosdam vocabulorum exitus, etiam contra Romanorum consuetudinem, vox produceret, præsertim illum qui latine *ia* sonabat, diceretur que *Monarch***ie**, *Phantas***ie**, *Astronom***ie**, etc... Quod ad syllabam IK nomina terminantem attinet, in ea proferenda parum sibi hodie Germani constant ; dum in vocabulis **Kom***ik*, **Ep***ik* brevis est, in *Mus***ik**, *Chron***ik** longam audimus.

Nonnulla nomina quæ, nuper e latinis orta, antiquam formam servaverunt alii alio modo enuntiant. Hoc maxime in illis animadvertimus, quæ in syllabam OR desinunt. Dum eruditi homines ad hanc gravandam sunt propensi, populus, si quando ejusmodi verbis potitur, libentius præcurrentem syllabam premit. Dum apud illos *Doct***or**, *Profess***or** audimus, populus, represso ultimæ syllabæ sono, **Doct***er*, *Pro***fes***ser* dicit. Itaque Henricus Heine, vulgi morem secutus, hos versus pangere potuit, in quibus *Professor* et *besser* consonant:

Vom Katheder schwatzte herab der Professor.
Er schwatzte, und ich schlief gut dabei ein;
Doch hætt mirs behagt viel tausendmal besser
Bei seinem holdseligen Tœchterlein [1].

[1] H. Heine, *Das Buch der Lieder*, I, 8.

CAPUT IV.

DE VOCABULORUM EXITIBUS.

Cum in ipsis penetralibus turbata et conversa sint vocabula, eorum finem, qui, natura mobilis, apud Romanos secundum multiplices grammaticæ leges variabatur, non inviolatum remansisse facillime intelligemus. Nomina et verba novos sunt conjugationis modos secuta. Sæpe etiam vocabulis novæ syllabæ adjungebantur, ita ut seu alia nomina et verba, seu adjectiva ex iis derivarent. Has extremas partes quæ novis regulis obtemperant, vel auctibus increverunt, explorare maximi interest.

Latina nomina quæ a grammaticis primo ordini adscribuntur, ea scilicet quorum nominativus in numero singulari in A exit, hanc litteram in *althochdeutsch* plerumque retinent. Ita fit in *Chostanza, scintila, chista, phlanza, minza, lîra, ampulla, regula, fiala*, etc... Procedente tempore, sonora vocalis in mutam E debilitatur aut omnino evanescit; mhd. *Kostanz, schindel, kiste, pflanze, minze, lire, ampulle, regele, fiole* scribitur. Recen-

tior lingua, rursus coarctatis vocabulis, nonnumquam hanc litteram E, quam *mittelhochdeutsch* servaverat, abjicit, formasque *Leier, Ampel, Regel* exhibet.

Non rarum tamen est jam in lingua *althochdeutsch* litteram A amitti; in verbis *ziagal, fenstar, fistul, mergil* desideratur.

Ab accusativo AM nonnulli formam EN ortam esse existimant, quam in regionum nominibus *Indien, Spanien, Italien, Britannien* invenimus. Quæ cum formis *Indiam, Hispaniam, Italiam, Britanniam* in *Indian*, etc..., corruptis congruerent. Cum sæpissime liquida N in liquidæ M locum succedat, cumque haud semel, ut infra videbimus, germanici nominativi non latinis nominativis, sed accusativis respondeant, non video cur aliquis hanc sententiam redargueret.

Syllabæ US et UM, e quibus nomina secundi ordinis terminantur, plerumque in *althochdeutsch* excidunt; *discus, boletus, cuminum, monachus, apostolus* videmus in *tisc, buliz, chumin, munih, postul* deminuta. Si vocalis I aut E syllabas US et UM antecedit, nomina *althochdeutsch* in litteram I exeunt, ut *philari, chellari, spihhari, scrini, phuzzi, chasi*, e *pilarius, cellarium, spicarium, scrinium, puteus, caseus* orta testantur. Quam litteram I alia vocabula linguæ *mittelhochdeutsch* in E infirmatam præbent, alia jam exuerunt. Ex illis referre decet ea in quibus latini fines *arius* et *arium* in mhd. *ære* conversi sunt; ex his *keller, spicher, schrin* expromere suppeditabit. Hodie pæne ubicum-

que debile illud antiquæ formæ vestigium deletum est. *Pfütze* litteram E servat, quia in genus femininum transiit, in quo plurima vocabula sic terminantur. Quanquam formam *Kæse* scribendo adhibere moris est, populum libet *Kæs* dicere.

Nominum quæ tertius ordo complectitur sunt plura genera consideranda. Ea quibus finis IO latine fuerat in *althochdeutsch* vocali A concludi solebant : *lectio lecza* peperit, *gurgulio gurgula*. Hodie, si Germani vocabulum ejusmodi e latina lingua hauriunt, finem IO in longiorem ION extendunt, Gallorum exemplum secuti, apud quos innumeræ voces hunc exitum habent.

Alia nomina quorum nominativus latine in simplicem litteram O desinebat idem nominativi signum in lingua *althochdeutsch* retinuerunt. Hujuscemodi sunt quorumdam animantium nomina *draco trahho, pavo phawo, falco falcho*.

Multo plura secundum latini accusativi aut saltem casus obliqui formam nominativum suum exegerunt. Ahd. *chruzi* non e nominativo *crux,* sed ex obliquo casu *crucis* aut *crucem* exiit. Aspirata CH, quam in Pech, Kelch, *chalch* (nhd. K*alk*) deprehendimus, non e littera X, e qua nominativi *pix, calix, calx* terminantur, oriri potuit, verum, quemadmodum substitutionis lex postulat e tenui C, quæ in *picis, picem,* etc... continetur. Ita explicanda est littera R in quam K*œrper* et *Pulver,* N in quam *Orden,* T in quam nomina *Abt, Part,* et multa in ÆT desinentia, ut *Universitæt, Facultæt, Majestæt,* exeunt, quia litteras eas non nominativi,

sed ceteri casus, *corporis, pulveris, ordinis, abbatis*, etc... possidebant.

Nomina quibus OR finis erat modo, illis assimulata quæ in *arius* et *arium* desiverant, germanice e forma *ari* sunt terminata, quæ tunc in *ære* et *er* lapsa est, modo in *althochdeutsch* sonum *or* retinuerunt, qui tamen mox frangebatur. E *sutor* ahd *sutari* exiverat, sed e *pistor phistor,* mox *phister,* e *major meior meier,* e *custor kustor* Küster, e *marmor marmor Marmel.*

Non est hic locus exponendi secundum quas leges omnia illa nomina a latina lingua accepta in linguis *althochdeutsch* et *mittelhochdeutsch* declinarentur. Cum apud ea nominativi forma jam minime peregrina esset, eodem pacto flexa sunt quo vernacula, adeo ut, satis barbare, genitivi *Satanases, Eliases, Johanneses* exsisterent.

De quibusdam tamen latinorum casuum exitibus perpauca dicenda sunt quos in recentiore linguæ specie animadvertimus. Postquam Germani in romanorum scriptorum libris cognoscendis iterum maximam operam dare cœperant, si quas voces ab iis mutuabantur, nonnunquam latinum declinandi modum servare placuit. Non ita pridem nomina, ut *studium, collegium,* etc..., sedulo juxta latinæ grammaticæ leges flectebantur. Hodie subridiculum et jactantioris eruditionis signum videtur, si quis extraneas formas non effugiat, et tantummodo in comœdiis arrogans aliquis pædagogus *die Studia, den Studiis, im Collegio* potius quam *die Studien, den Studien, im Colleg* dicat. Quædam

tamen eruditionis vestigia etiam in populi lingua deprehendere est. Nomina *Christus* et *Maria* a plebe, prout grammatica docet, flectuntur, familiaresque sunt locutiones *Christi Geburt* (Christi natalis dies) et *Mariæ Himmelfahrt* (Mariæ in cœlum assumptio). Pariter circumforaneæ sunt formæ *Anno 1888* et *bis dato,* in qua posteriore casum dativum nominis *das Datum* agnoscimus.

Latini genitivi meminisse videntur Germani, cum, violatis patriæ linguæ regulis, femininis vocabulis quæ primum locum in compositis verbis occupant litteram S aggregant, ita ut *Religionskrieg, Universitætsgebæude* dicatur. Quas mirificas formas optimo jure Schleicher similitudine cum latinis *religionis bellum, Universitatis ædes* interpretatur[1].

Cum pleraque latina nomina exitum suum amitterent aut in minime sonoras E et ER promiscue transirent, jam nullum signum supererat, quo grammaticum eorum genus agnosceretur. Ita factum est ut masculina in feminina, feminina in masculina aut in neutra, vicissimque hæc in illa inverterent.

Inter masculina in feminina mutata adspicimus : *murus die Mauer, numerus die Nummer, cancelli die Kanzel, puteus die Pfütze, fructus die Frucht,* et pleraque fluminum nomina : *Rhodanus die Rhone, Tiberis die Tiber, Danubius die Donau. Rhenus* tamen genus suum servavit, nam *der Rhein* dicitur.

[1] Schleicher, *Die deutsche Sprache,* p. 233.

Masculina in neutra : *Chorus das Chor,* quoties de templi parte, sed *der Chor,* cum de theatro agitur ; *camelus das Camel, crocodilus das Crocodil, paradisus das Paradis.*

Feminina in masculina : *turris der Thurm, tegula der Ziegel, domus der Dom, macula der Makel, consonans der Consonant, vocalis der Vocal, radix der Rettich.*

Feminina in neutra : *fenestra das Fenster, pix das Pech, crux das Kreuz, febris das Fieber.*

Neutra in masculina : *bicarium der Becher, spicarium der Speicher, vivarium der Weiher, altare der Altar, speculum der Spiegel, scrinium der Schrein, signum der Segen, templum der Tempel, corpus der* Kœrper.

Neutra in feminina : *organum die Orgel, matratium die Matratze, mille die Meile, phlebotomum die Fliete, bracellum die Bretzel.*

De verbis breviter loquar ; parvula enim est apud ea exituum varietas. Verba primi ordinis, quæ latine in *are, althochdeutsch* in *ôn* desinunt. E *temperare* fit *temparôn,* e *saltare salzôn,* e *murmurare murmurôn,* e *dictare tihtôn.* Idem fit de verbis in *ēre* et *īre* exeuntibus : ex *augere auhôn,* e *balbutire balbizôn,* hodie amissa, nata erant. Non semel brevis finis *ĕre* in eamdem syllabam producitur : *coquere chochôn* parit. Alias ex eo finis AN exstitit, ut in *scribere scriban.* Fines *ôn* et *an* postea in mutum *en* degeneraverunt e quo hodie omnia verba terminantur.

Tempore quo forma *mittelhochdeutsch* pollebat,

Germani Gallorum exemplo, apud quos plurima verba in fine sonum *ier* habebant, ad hoc adducti sunt, ut, extranea syllaba *ier* cum germanica *en* copulata, finem *ieren* aut *iren* fingerent. Quem in verbis *conduwieren, saluwieren* jam supra adspeximus. Idem hodie ad multa verba e latinis deducenda promiscue adhibetur, sive illa latina in *ĕre* aut *ēre*, sive in *īre* aut *are* finiebantur. Sic *studiren, tractiren, poliren, imponiren* exstiterunt et quotidie nova in medium proferuntur.

Quod ad vocabula derivata attinet, duo sunt nobis animadvertenda. Modo latinam stirpem reperimus cui germanicus, modo stirpem germanicam cui latinus finis adjungitur. Ita e stirpe *viola*, mhd. *vîel,* cui particula *chen,* deminutionis signum, addita fuit, vox *Veilchen* processit; e stirpe *tradere,* addita syllaba *unc,* ahd. *tradunc,* id est *translatio,* e stirpe *càmera* Kæmmerling, e *crux kreuzer* (pecunia) et *kreuzigen.* Crediderunt nonnulli grammatici nomen *Winzer* directe a latino *vinitor* deductum fuisse. Falso quippe. In hunc errorem prolapsi sunt, quia antiquiores germanici vocabuli formas non investigavere, quæ mhd. *winzurl,* ahd. *winzuril* sonant. Exitum *itor* non in germanicum *zuril* inverti potuisse constat. Radice sola *vinum* cui accessit forma *zuril,* fortasse e verbo *zeran* (desecare) detorta, vocabulum nititur.

Interdum non particula tantum, alterum autem vocabulum latino copulatur. Jam pridem formæ *mul* et *Maul,* rite e *mulus* natæ, simplices

non adhibebantur, sed cum germanicis nominibus *Thier* et *Esel* in *Maulthier, Maulesel* permixtæ. Simili modo latino *dama* germanicum *Bock,* latino *turtur* germanicum *tûba(Taube)* ad formanda *Dambock, Turteltaube* accesserunt. In nominibus civitatum *Strassburg* et *Augsburg* etiam duo elementa connexa adspicimus, nempe latinum in prioribus vocabulis, *strata* et *Augusta,* germanicum in posteriore *Burg*. Latinam, aut si altius initium petimus, græcam originem esse illustrissimi nominis *Bismark* perpauci suspicantur. Stirps eadem est quam in *Bischof* (episcopus) invenimus, ex qua cum vocabulo *Mark,* id est fines, contracta gentilicium nomen, excubitoris vim habens, ortum est.

Major est germanicorum vocabulorum copia, quæ latina particula secuta est. Sic finem *alia* in nominibus *Lappalien, Schmieralien, tas tatis* ex quo *tæt* in *Schwülitæt, ant* in *Trabant* (e *traben* derivatum), *ianus* in *Schlendrian, Grobian* invenimus. Inter adjectiva illa præcipue notanda sunt quæ regionum et urbium quarumdam incolas designant. Alia latini finis *ensis*, alia finis *anus* auxilio, quibus insuper germanica particula ER additur, formata sunt. Ita *Hallenser, Badenser, Hannoveraner* exstiterunt. Eumdem finem *anus* in *Lutheraner, Zwinglianer* invenimus. Syllaba OS ex adjectivis *curiosus, studiosus, famosus* extracta germanicum nomen *Bursche,* cum particula IK consociata, adauxit : inde adjectivum *burschikos* in similitudinem a mero latino fonte deduc-

torum *curios, famos* terminatum. Latinus exitus *entia* in germanicorum verborum finem inflexus, et cum germanico adjectivo *faul* (piger) compositus, verbum *faulenzen* generavit.

CAPUT V.

DE SUBJECTIS IN VOCIBUS SENTENTIIS.

Hactenus in vocabulorum formam ac structuram animum intendimus. Nunc recognoscendum est quo pacto aliquoties ipsa verborum natura sit commutata. Modo nova verbi significatio non omnino a vetere abhorret, sed ab ea deducta est, cum paullatim verbum latius pateret. Modo populus, veteris significationis oblitus, cum tamen verba intellectu carere ægre ferret, in latinorum vocabulorum vicem germanica, forma similia, et aliquid quod in suam cogitationem caderet declarantia substituit.

Longius hoc opus proveheretur, si omnia prioris generis vocabula vellem indicare. E magna exemplorum copia aliquot tantummodo referam.

Cancelli, ait Forcellini, sunt : « septum ex rectis et obliquis lignis, aut ferramentis, modicoque intervallo distinctis contextum, quo fenestræ, januæ, scenæ, tribunalia muniri, eorumque aditus præcludi solent. » Verbi significatio in media latinitate jam variata erat. De cancellis altaris Cangius loquitur, « quibus altaris septum vel locus

munitur », elevatosque fuisse plerumque refert ; « quod ideo fiebat, ut populus, videns clerum psallentem, inde sumeret bonum exemplum. » Ita factum est ut ahd. *kanzella,* nhd. *Kanzel* exedram significaret ex qua sacerdotes de rebus divinis coram populo verba faciunt.

Bursam Forcellini crumenam definit, sacculum in quo pecunia reponitur. Cangius autem verbum interpretatur tanquam « conventiculum, illicitum cœtum forte sic dictum ex arca communi ad illos conventus fovendos destinata. » Inde germanicum *Bursche* explicari poterit quod non jam conventum designavit, sed homines qui inter se conveniebant, tunc Universitatum alumnos in societates coeuntes, denique etiam milites ducum suorum famulos.

Beryllus apud veteres Romanos « gemma erat pretiosa, seu lapis, viriditate similis smaragdo[1] », in medio ævo autem *conspicilium,* ut Cangii verbum usurpem, quod oculorum imbecillitati subveniret. Inde germanici nominis *Brille* (gallice *lunettes*) significatio.

De *Disco* Forcellini scribit : « Orbis rotundus erat, lenticulari forma, lata, et plana figura, ferreus, vel aeneus, aut lapideus, gravis ponderis, quem in altum manibus jactantes se exercebant, ludebantque, victore, qui altius, seu potius longius projecisset. » Deinde a similitudine « lanx fuit, disci figura similis, cibis continendis ». Apud Cangium nomini vim mensæ fuisse legimus,

[1] Forcellini.

mensæ scribarum et notariorum, vel tabulæ ubi merces vendendæ exponebantur. Germanico *tisch* sola mensæ significatio fuit, seu rotundæ, seu quadratæ.

Emplastrum apud Romanos medicamentum erat « quod ex variis rebus conflatur et exterius imponitur[1] », in medio ævo « modus agri, solum ædificiis aptum », deinde « pavimentum, forte e gypso confectum[2] ». Ita intelligemus cur in Germania duæ sententiæ verbo subjiciantur, scilicet medicamenti, et lapidum quibus viæ sternuntur.

Nomen *pulveris* olim nihil nisi terram minutam et aridam declarabat. In medio ævo pulverem tormentarium in præliis exercitus adhibuerunt, aut etiam pulveris nomine medici quasdam farinas appellabant. Germanicum *Pulver,* vetere significatione funditus amissa, nihil nisi tormentarium pulverem aut medicamentum designat.

Verbi *dictare* primum « dicere et lente enuntiare quæ alius excipiat », in medio ævo « scribere, epistolam componere » sensus erat. Inde germanici verbi *dichten* significatio, scilicet librum aliquem, ac præsertim poema effingere.

Inter vocabula quæ latinæ originis et pristinæ significationis immemor populus, substitutis in latinarum loco similibus germanicis vocibus, corrupit, hæc notabiliora sese nobis objiciunt :

Postquam *arcubalista* in quamdam formam *ar-*

[1] Forcellini.
[2] Cangius.

brest, ut opinor, gallicum *arbaleste* imitantem concreverat, brevi tempore plebi vox inanis fuit. Tunc, quia *ar* nominis *Arm* (brachium) initium esse videbatur, et *brest* non multum a *Brust* (pectus) abhorrebat, et quia brachium simul atque pectus in emittendis per arcubalistam sagittis partes agebant, in obscuri *arbrest* locum clarius *Armbrust* incessit, quod saltem notionem aliquam in mentem injiciebat.

Ubi nomen *Antichristus* per inflexionem, quæ vulgo *Umlaut* dicitur, in *Entichrist* inversum fuit, populus jam non de græca præpositione ἀντί cogitavit, verum de germanico nomine *Ende, finis,* et ideo jam non animum ad quemdam Christi æmulum retulit, sed ad *Endechrist,* id est ad numen quod supremo mundi tempore venturum esse aniles superstitiones prænuntiant.

In mhd. *murmendin* jam adeo latinorum nominum *mus montis* forma et significatio obscuratæ erant, ut verbo potius murmurantis animalis notionem vulgus subjiceret, quam recentiore forma *Murmelthier* expressit.

E latino *pyretrum* in ahd. *perhtram* inverso populus, in cognominis *Bertram* similitudinem, plantam quoque *Bertram* appellavit. Peregrinum *aristolochia* a familiari *Osterluzei* fugatum est, in quo saltem pars prior, festæ diei *Ostern,* Pascharum nomini assimulata, non inanis et vacua esse videbatur. *Ligusticum,* post acceptas formas ahd. *lubistechal,* mhd. *lübestecke* et *liebstuckel,* hodie *Liebstœckel* sonat, in quo verbo sensum quærens

vulgus nomina *Liebe* (amor) et *Stœckel* (virgula) consociavit.

Wackernagel non parvam seriem nominum personas et urbes designantium refert in quorum loco populus, ea falso interpretatus, germanica vocabula omnino alias res declarantia reposuit. In quorum numero *Finis terræ* (Galiciæ montes) in *Finster Stern*, *Fauces* in *zu Füssen*, *mons Beligardis* (Monbéliard) in *Mümpelgarten*, *Ravenna* in *Raben* (corvus), *Turonis* in *Turn* a plebe detorta mirabimur.

CONCLUSIO.

Vocabula quæ, penitus conversa, extraneam formam jamdudum exuerunt, adeo ut vernaculorum speciem affectarent, apud germanicos grammaticos *Lehnwœrter,* id est assumpta vocabula, appellari moris est; illa autem quæ, parce detorta, tanquam recentius importata manifesto agnoscimus, nomine *Fremdwœrter,* id est peregrinorum, designantur. De utroque genere controversia fuit, num linguæ utilia an perniciosa essent. Quidam germanicum sermonem sedulo ab omnibus extraneis vocibus purgandum esse existimant. Septimo jam sæculo in Sancti Galli monasterio dictionarium compositum fuerat, quod mere germanicum vocabulum in cujusque latini loco ponendum indicabat[1]. Frustra fuit inceptum. Latina vocabula, ut *templum, fenestra, postis,* quæ dictionarii auctor effugienda esse censebat, servari voluit usus,

Quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi.

Sæculis post decem, cum nimia adventiciorum verborum copia sermo redundaret, iterum quidam homines maximam operam impenderunt, ut

[1] Cholevius, *op. cit.,* p. 15.

Germani ad pure scribendum et loquendum assuescerent. Inter eos Philippus Zesenius conspicuus est, qui, cum omnia extranea verba, latina et alia, e patrio sermone expellere et mere germanica in eorum locum subjicere conaretur, irridendi sui facultatem dedit. Pro verbis *Fenster, Kloster,* quoniam e latinis orta erant, germanica *Tageleuchter, Jungfernzwinger,* pariterque pro deorum nominibus *Jupiter, Vulcanus, Minerva* a se excogitata *Erzgott, Glutfang, Kluginne* reponebat. Cum Zesenius in philologia rudis esset, nonnunquam ei accidit ut germanica vocabula pro peregrinis et peregrina pro germanicis haberet. Ita, ut unum modo exemplum afferam, nominis *Nase* loco, quod a Romanis traditum fuisse existimabat, ad adhibendum *Gesichtserker* hortabatur, oblitus nempe *Nase* a prisca stirpe indo-europæis linguis communi, *Erker* autem a latino *arcora* deductum eese. Jam apud æquales suos Zesenius ludibrio fuit; satirarum scriptor Rachelius sese oblectabat, dum ejus stylum latinarum vocum impatientem imitabatur. In nono decimo sæculo Joachim Henricus Campe Zesenii vestigiis institit, cum a dictionario suo[1] omnia vocabula amoveret, quæ e peregrina lingua hausta erant.

Linguæ perniciosissimum esse equidem fateor, si magna extraneorum verborum turba in eam irrumpant. Offensam habet stylus cui latinæ, gallicæ et aliæ formæ miscentur. Sed, cum a pere-

[1] Joachim Heinrich Campe, *Wœrterbuch der deutschen Sprache*, Braunschweig, 1807-1811.

grinitatis vitio abhorrent scriptores, cavendum est ne a finibus discedant citra quos nequit consistere rectum. Nullum ex illis verbis amitti velim, quæ vulgo *Lehnwœrter* dicuntur, quia quasi divitiæ sunt quibus populus potitus est, et quæ, postquam præsente nota signata fuerunt, summum pretium retinent. Difficillime aliquis alia a germanicis stirpibus deducta eis subjiceret; qui rem tentaverunt, ut Zesenius et Campe, in gravissimum vitium sunt prolapsi, cum ad incommoda et sesquipedalia verba effingenda cogerentur. Ex contraria parte, verborum, quæ, externa specie non amissa, *Fremdwœrter* appellantur, patrocinium arripere mihi haudquaquam in animum veniet. Utinam iis germanici scriptores abstineant, vel tunc tantummodo utantur, cum ad breviter et commode exprimendos sensus germanica verba deficiant !

Antequam dicendi finem faciam, votum efferendi veniam mihi rogo. Magistri qui in scholis nostris, vulgo collegiis et lycæis dictis, alumnos in germanico eloquio erudiunt sæpius oblivisci videntur linguam quam docent non longe a ceteris, in quibus alumni simul instituuntur, secretam esse. Admodum raro his magistris in mentem venit germanica vocabula cum latinis comparare. Non sunt profecto coram adolescentibus abstrusæ philologiæ quæstiones peragendæ. Verum, mea quidem sententia, si quis ætate majoribus discipulis verborum, quæ a latinis originem ducunt, etymologias aliquando indicaret,

attento animo nonnulli hanc doctrinam exciperent. Memoria facilius quæ sit verborum vis retineret, adolescentesque partim non duas diversas linguas, sed unius et ejusdem diversas formas sibi aperiri arbitrarentur.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. XV kal. aug. ann. MDCCCLXXXVIII
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus
A. HIMLY.

Typis mandetur.
Academiæ Parisiensis rector
GRÉARD.

INDEX RERUM

PARS PRIMA

QUALIA VOCABULA LATINA GERMANICUM SERMONEM LOCUPLETAVERINT

PARS ALTERA

QUEMADMODUM LATINA VOCABULA COMMUTATA SINT

Grenoble, imprimerie ALLIER, Grande-Rue, 8.